OH. NICOLAI PECHLINI,
Med. Doctoris & Profeſſoris Ord.

De

HABITU & COLORE ÆTHIOPUM,

qui vulgò

NIGRITÆ,

LIBER.

ad

Excellentisſimum Virum

D. CAROLUM DRE-
LINCURTIUM,

hriſtianisſimi Regis Conſiliarium &
Medicum, Profesſorem Lugduni in
Batavis Primarium.

✳ ✳ ✳

KILONI,
iteris ac Impenſis JOACH. REUMANNI,
Academiæ Typogr. Anno 1677.

Digitized by Google

AD

VIRUM CLARISSIMUM,

JOHANNEM NICOLAUM PECHLINUM,

COLLEGAM AMICISSIMUM,

Poſt Anatomen Æthiopiſſæ

De habitu & colore Æthiopum

commentantem.

O *PECHLINE, tuis decus Batavis;*
Nunc noſtris decus ô amorq; Cimbris:
Quem totum ſibi Apollo, quem novena,
Quantus eſt, ſibi vindicant Sorores:

Quem Machaoniæ ſacraque Vatum,
Omneſque ingenii ſagacis artes
Oſtendunt populis ſuperſtitemque,
Transmittent memoris per ora ſecli.

O PECHLINE meis amate Muſis;
Quem circumvolitant Joci, Saleſque,
Lepores, Veneresq;, Gratiæq;
Gallica, Batava, Attica, Latina,
Quis te nunc furor IngenI calentis
Monſtrorum in Patriam relegat? aut quid
Formarum Africa parturit novarum?
Provocare tuos ut auſit ignes,
Formarum, niſi fallor, elegantis
Spectatiq; ſatis, ſatisq; cauti
Spectatoris. Inauſpicata non eſt
Maura forma tibi nec ominoſa?
An qua Nocte ſata, umbra viva quondam,

Sodalis lemurum, ipſa nox diurna,
Cum non pallida mors, ſed atra nigram
Vel luci eripuit ſua, vel umbris
Vindicat profugam, tuos Cadaver
Non horrore quatit rapitque ſenſus?
Hanc tractare manu, ſecare cultris
Et rimari oculis nihil vereris.
Hæ nunc deliciæ, ſed Africana
Barbaraque placent: nec his venuſtas,
Vel te judice, gratiaque deſunt.

En ut ſe reſupina tendit! en ut
Albis dentibus illa ridet albos,
Si pellem videas, ſed intus atros!
Quæ nunquam erubuiſſe viva viſa eſt,
Non jam mortua nudaque erubeſcit
Intra pelliculam, ſinusque cunctos,
Intra pectora, viſcerumq; gyros,

Totam tradere ſe tibi videndam.

Nunc ergo, indice te, docemur albis
Quid diſtet niger, & quod ater, albus
Neſcit hactenus; album uterq; & atrum
Se Te noſcere nunc poteſt Magiſtro.
Nam quà ſumma cutem tegit propinquam
Nobis pellicula, & rubore tinctus
Translucet per eburna texta candor,
Fuligo ſedet his, cutisque fibris
Exſudans oleoſa cuncta latè
Interfuſa nigro linit colore,
Membranaque ſubuculam reponit;
Quæ tranſire vetans opaca lucem,
Hæc Mauros facie exhibet videndos.

Hæc dum tu vegeta calore mentis
Scrutator penetras, colore noctis

Nunc tinctam ingenii colore tingis,
Ut, quam non habet ipſa Maura lucem,
Quam non repperit ipſa viva lucem,
Nunc te mortua phoſphoro reportet,
Gentilesque tibi exuat tenebras.
Hæc qui nunc memoras, notasque chartis
Cultis, (Juppiter!) & laborioſis,
Quanquã Afrã, tamen unicam, venuſtam,
Quæ nullis imitanda penicillis,
Pinxiſti Venerem unus hanc Apelles.

O PECHLINE, meis amate Muſis,
Quæ nunc præmia (nam mereris illa)
Pulchros nobilis ingenI manebunt
In monſtro, ſed amabili, labores?
Si ſententia nunc roganda Divum eſt.
Phœbo judice, candidisque Muſis;
Candidâ Venere, omnibusque Divis.

(ÆSCULAPIUS & probet BATAVUS)
Qui noſti intus & in cute, & retexis
Mauras candidus arbiter puellas
Dulcem (Dî faciatis!) & venuſtam
Dulcis, Candidus ipſe, Candidamque
Solus Phyllida, ſolus Ipſe habeto.

DANIEL GEORGIUS
MORHOFIUS. D. Pr.
Acad. h. t. Pro-Rector.

PROOEMIUM.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

Ex quo Bataviam meam reliqui, & quidquid eſt hominum elegantiorum, non deſtiti ſolitudinem, quam mihi vivendi conditio impoſuit, jucundâ & frequenti actorum memoriâ delinire. Habui multos & obſervavi, quos mihi morum & eruditionis commendatio reddiderat familiares, ſed, quem magis reſpicerem coleremque, quàm Te, alium habui neminem. Operam itaque dare cœpi ab illo tempore, quo me divina voluntas huc evocavit, quemadmodum Tui rationem habere poſſem,

& quam mihi toties probaſti benevolentiam, pio officio rependere. Sed cogitanti ſæpe & ſæpe volenti, quam in manibus habebam, occaſionem armorum circumſtrepentium fatalis turbo excusſit, meque mihi & tam gratæ amicorum recordationi eripuit. Jamque inceſſerat animum non præteritorum tantùm ſed & præſentium memoria, & quam ex officiorum cultu capere voluptatem ſolemus, fortuna in tædium verterat, cum religiosâ tandem cogitatione mihimet redditus, ordinandis amicorum deſideriis incumbere diligentiùs cœpi. Nimirum, ut quisque à Naturâ infirmiores ſumus, & alii aliis faciliùs ad turbida deficimus, ita ego hoc imprimis in me ſentio animi vitium, quòd ad rumores, aſperos illos & tranquillitatis hoſtes, meliorem ſenſum atque libertatem, quam Studioſorum ſibi mentes poſcere ſolent, facilè amittam. Sed neque levis illa eſt aut inanis perturbatio, ſed pertinax, & poſtquam animum ſemel inſedit, quie-

tem

tem etiam curioſè quæſitam diutius enervans. Exiſtimabam, cum in poſſeſſionem hujus officii fortunâ mitterer ex hoſtico & vicino tumultu, aſſertum jam me iri in tranquillum, &, quantum res humanæ ferunt, meliorem vitæ ſtatum: ſed ecce! vix unius anni requies, cum me eisdem & propè fatalibus redditum calamitatibus video; atque ex illo animus, mirificè mobilis, & ad gravioris momenti ſtudia lentè obtorpeſcens, adigi vix potuit, ut, quod vehementer cupiebam, effectum redderem. Haud facilè ſcias, Virorum optime, quàm pectus hoc, nullius adeo quàm tranquillitatis avidum, ad imminentia, imo & longiùs remota, ſui oblivíſcatur, & ſanè, ſi quæ eſt, conſtantiam evertant, ἔσωθεν φόβοι, ἔξωθεν μάχαι, ut Apoſtoli iſta mea faciam. Ubi autem accuratiùs imbecillitatem hanc cogitare cœpi, non ſine vi quadam & mecum ipſe & cum ſtudiis in gratiam redire, horasque, ſi non omnes, at ſaltem aliquot, tumultibus iſtis eximere

neceſſa-

neceſſarium duxi, imo etiam audere, quod aliàs non temerè, nec niſi plenâ in libertate auſus fuiſſem. Aſpice ergo qualemcunque hanc operam, Excellentisſime Vir, tanquam animi mei debitum pignus veteriſque conſuetudinis memoriâ extortum, &, ſi quid in hiſce vel criſi tuâ aut nomine meo eſt indignum, disſimili vel ſtudio aut nexu elaboratum, crede, temporum iſtam culpam eſſe, exulceratam mentem ex facili revocantium. Pulcra nimis erat occaſio, quàm ut eam rejicerem, plurima ſponte properabant, ut in argumentum cederent libelli, ex quibus ea tantùm deligere volui, quæ placitura eſſe ſperabam, pauca & inuſitata. Annus eſt, & quod excurrit, cum feminæ ex Æthiopiâ, aut Morulæ, ſi Plautino vocabulo exprimere communem gentium nòmenclaturam licet, incidit cadaver, raritate ſe ſuâ ultro commendans, ſemel tantùm aut fortè iterum in his terris viſum, cujus nigredo, non conjecturis modò, ſed & experimentis doctiſ-

doctisſimorum Virorum vexata, ſuadere jam initio viſa eſt, ut incerta opinionum præſenti, &, quantum poteram, ſolidâ demonſtratione tollerem. Verùm, etſi aliqua attigerim haud vulgata, non tamen ea certitudo à me deprehenſa, ut ultra ſuperficiem aliquid audeam promittere; pluribus enim experimentis & hoc ipſo edoctus ſum, inane plerunque eſſe, quod nobis ipſi de materialibus minimorum cauſis & adæquatâ rerum cognitione fingimus, quandoquidem illud, quod innoteſcit, ſub certâ quantitate ſenſibus objiciatur, ſuperficiale ſit & valde paucum, quod latet, & in quo vera Naturæ vis collocatur, longè plurimum, nec ſenſuum tantùm, ſed ſeverioris quoque judicii fugiens cenſuram. Non inficior ſapere nos aliquid; verum ita, ut maximam partem admiratio, hoc eſt, religioſa ignorantia ſibi vendicet, paucisſima ambitio; quâ etiàm causâ impulſos nuper fuiſſe ingenuos viros video, ut ejurato naturalium rerum ſtudio, ſe ſola

Dei

Dei abſtractorumque contemplatione exercerent, hoc uno piam felicitatem metientes; quod inſtitutum etſi vituperare in præſens nolim, tamen etiam cur magnopere probem, non reperio. Conceſſit nobis divina bonitas corporum θεωρίαν, ex quibus poſtquam ſuperficiem delibavimus, jam inde plurima ſupereſſe certum eſt, quæ Numinis potentioris excitent reverentiam, noſtram vero ipſorum prodant imbecillitatem; nam religionem quidem non ante ſubnaſci putem, quàm animus, ille vaſtisſimarum rerum adeo appetens, ſeque ipſo major, etiam ad exilisſima quæque deficere ſeſe intellexerit; ut non exiguus jam ſit contemplationis illius fructus, aliquid in uſus civiles, plurima in Dei noſtrîque cognitionem transferre. Sanè id quoque in nigredinis Æthiopicæ examine accidiſſe mihi haud poſſum tacitum ferre; poſtquam enim diu, & ultro citroque eam inſpexeram, vix aliud deprehendere licuit, quàm quod ſuperficiei pro-

ximum.

ximum, ſenſibile, craſſum, & vulgaribus quoque oculis notandum: at quæ ſit fuliginoſi unguinis ad textum reticulare proportio, quæ origo, illud tam ignotum eſt quàm quod maximè; & quamvis exquiſitior acies novaque Naturam tentandi ἐγχείρησις aliquantò plura polliceatur, erit tamen ſemper, quod exquiſitisſimæ curæ etiam in hac parte adjici posſit. Colorem Phyſici pro incidentiæ, refractionis reflexionisque naturâ commodè explicant, ſed, quando ad particularia ventum eſt & ſuperficierum corporalium modificationes, ambiguâ minimorum hypotheſi facilè oſtendunt, quàm oculi noſtri ſint jam inde à primâ peccati labe lippientes. Ignoſces ergo, V. E. ſi non aliam hic certitudinem ſum aſſecutus, quàm quæ eſt à ſenſu eoque minùs exercitato: quos autem inſperſimus luſus ingenii, eo animo velim accipias, quo accipi ſua volunt, qui ſine ambitione placere quàm plurimis ſtudent, & minimè multos lædere. Sed neque ita fidem ſer-

vare incepto meo concedebatur, ut non eidem oculi, qui in nigredinem erant intenti, ad alia & externum corporis habitum abriperentur; quæque ibi ego vel ſecundùm aut contra proportionem invenirem, ſimul hoc libello indicarem. Erant verò etiam cauſæ, cur de Polypo in cadavere hoc reperto, & de materiâ in Pulmonibus nonnullisque rarioribus copioſiùs differerem, ſed quia in habitu manere mecum antè conſtitui, de hiſce, præterquam verbo, quidquam amplius addere religio eſt. Polypus autem erat Cordis, non falſus & quotidianus, ex coâgulo ſanguinis, ut Kerckringii ille, ſed Malpighii & jam olim Tulpii, planè ſingularis; vaſtus, per ventriculi utriusque auricularum venarumque ſpatia exporrectus; albus vel cineri concolor, certè omni tinctura cruoris diſpoliatus; viſcoſus, tenax, pelleus, ex membranularum fibrillarumque irregulari infinitoque contextu oriundus, lateribus paſſim cavitatum & tendinibus Cordis, velut per glutinum

num ſuperficiale, quali attexere lævisſimo plano fila ſua cylindrica araneæ ſolent, ſuſpenſus; verbo, omnibus numeris tam Malpighianæ deſcriptioni, tam Tulpianæ iſti ſimilis, ut nihil eſſe ſimilius potuerit. In Pulmones abdiderat ſeſe materia, jus heſternum eſculentaque fruſta redolens, amurcæ inſtar, & copiâ ſemiſſem libræ longè excedens, illa ſcilicet, quam loborum compresſione ex arteriæ vulnere extorſimus: in nudatis quidem bronchiorum ramulis nihil obſervatum eſt noxæ, præter dentis molaris grandiorem partem, in iſtorum unum infixam; unde conjicere poteram, cùm materiam adeo jejunam, tum dentis hocce fruſtillum vi & jamjam morientis negligentiâ in pulmones deſcendiſſe, nam, quòd ſine teſte obierat, aliud temere ſuſpicari non licuit. His itaque misſis ad propoſitum venio, & quam mihi ipſe olim exercitationem præſcripſi, atque hortatu Amplisſimi & Excellentisſimi Viri, D. D. JOELIS LANGELOTTI, Archiatri famigeratisſimi,

ſimi, Fautoris mei venerandi, perfeci, eam tecum communicare, CAROLE DRELINCURTI, omnino neceſſarium duxi.

Caput Primum.

DE Habitu Corporis Æthiopici obſervata. Proportio examinatur oſtenditurque in plurimis bonam eſſe, in nonnullis tamen etiam vitioſam. In Capitis figurâ quid laudari, quid damnari debeat; pectoris truncique proportionem optimam viſam, certè meliorem, quàm eſſe noſtrarum ſolet, quæ ſtricturâ pectus ventremque corrumpunt; tumorem gulæ & colli brevitatem cæteram quoque proportionem fœdare. Difficulter admodum de verâ proportione membrorum judicari poſſe.

IN ſtaturâ ergo corporis feminini, quo aliorum etiam Æthiopum æſtimare proportionem decrevi, miram primò notare viſus ſum membrorum congruentiam; nam urbana planè erat atque elegans articulorum muſculoſorumque ventrium proportio; ſuperfi-

cies

cies ipſa mollis atque expolita, macularum nævorumque immunis; longitudo pro feminâ decora, in viris minùs juſta; nam, quod de Æthiopibus jam olim Cambyſis tempore narrat Herodotus, eos omnium mortalium longiſſimos fuiſſe atque fortiſſimos, id neque hodie in Africano tractu, nec apud nos deprehenditur: utrum, quando ex calido orbe aëris noſtri ſubeunt inclementiam, in anguſtiorem paulò orbem contrahantur, definire non audeo; eſt autem haud improbabile, natalium diætæque mutatione, tum, quod maximum eſt, athmoſphæræ gravioris incubitu reprimi illam ſpiritus vegetativi potentiam atque adoleſcendi impetum abrumpi. Ut jam quoque appareat, hoc hominum genus non tam propter figuram, quæ aliàs copri-as, nanos & quidquid eſt inficetiarum commendare Magnatum ludibriis ſolet, quàm formæ colorisque raritatem in Europæorum adſciſci delicias. Caput ipſum, ut ad partium accedam exa-

 men,

men rotundè conglobatum, durum & refertum tinniens, pilis ornabatur laneis, anguloſis, rigidioribus & penè ſetoſis; verùm ita capitis respondebant circumferentiæ, ut rotunditatem ejus minùs offenderent, cum in aliis nationibus capitis illam figuram crines plerunque vel fædent aut occulant. Nihil certè in proportione ibi inſolens, quippe, cum calvicies proboſa ſit, comarum promiſſarum & huc illuc volitantium longitudo indecens, in hiſce miram rotunditatem & harmoniam cum calvariâ Natura affectavit, &, cum rigidior atque in rectum porrecta cæſaries minus habeat gratiæ, criſpavit eam in gradus, nec deſcendentes nimis, neque nimis etiam breves. Equidem opus non habuerunt Æthiopes promiſſis & longis capillis, ut collapſas fulcirent genas; ſubjectâ enim denſâ pinguedine, quam toto alunt corpore, mirificè rotundatur oſſium eminentium aſperitas; hoc enim eſt, quod longis & cum baſi vultus hori-

horizontalibus capillis ſibi quærunt Barbatuli, & quibus majeſtatis ſpecioſæ cura eſt. Reſpice picturas, quibus Veneres Cupidinesque exprimere vulgò ſolent; mollem ibi invenias vultus rotunditatem, cingentibus eum parallelo orbe capillis; in Furiarum contrà pictâ immanitate, triſtem anguloſamque faciem, certante cum tali vultus horrore crinium vagâ & ſerpentinâ longitudine. Pectus erat modicum, & mammæ, nam pridem pepererat, lacte uberi repletæ, non adeo vaſtæ, ut feminarum iſtæ, quas in Moſambicâ Africæ Linſchotanus obſervavit. Latitudo aut circumferentia, quà in hypochondria aut ventrem Thorax deſinit, neque laxa nimis nec nimis adſtricta, ut virguncularum eſſe ſolet, quas matres curant junceæ ut ſint, quæque, ut medium ventrem velut in filum contraxerunt, mox deinde inferiùs in intempeſtivam abeunt uteri ampullam, id tantum virginali curâ conſequentes, ut difficiliùs matres fiant. Luxantur

profectò per faſciarum linteorumque ſtricturas pectoris articulationes, & ſpirandi illa facilitas, quâ robur conſtat parturientium, cum tempore atteritur; diaphragma, præcipua reſpirationis pars, non complanari ſatis, nec propellere ſubjecta inteſtina uterumque præ rigore illo, jam à juventute, imò teneris, contracto, poteſt, unde labor ille enitentium vi vexatus maturè fatiſcit, & niſi infantis robur naturaliumq; in hiſce plagis humiditas difficultatem compenſet, etiam in totum deſtituitur. Quare laudare habeo feminæ noſtræ & Barbararum inſtitutum, quæ, ne quid in fraudem Naturæ, aut propriam valetudinem committant, analogiam illam membrorum liberali curâ tuentur, & ad matris nomen decusque honeſtè ſuſtinendum tutiorem eligunt viam. Venter erat pasſim mollis & idoneo tumore inſignis, totius etiam dorſalis tractus, natium blandè aſſurgentium, cùm femorum &, quæ his ſubjiciuntur, tibiarum egregia

gia proportio, teneritudinem muſculorum (neque enim tam vaſti videntur, ut in noſtri orbis feminis) replente pinguedine mirificè denſâ, quippe quam glutiæis muſculis inſtratam vidimus ultra manus latitudinem. Suræ non adeo ventrioſæ, & ipſi gaſtrocnemii exiliores, plurimum quoque debebant pinguedini ſuperinjectæ; certè toto paſſim corpore relicta à muſculorum commiſſuris tendinumque finibus angulosa interſtitia omnis pinguedo ſic temperabat, ut æqualis paſſim extaret ſuperficies. Ex quibus habitus iſtius proportionem eluceſcere ſatis ſuperque exiſtimem; nam, cum nihil tam blandum atque amicum contrectanti, quàm quod molliculum & rotundulum, nihil contrà vel oculorum aut tactus experimentis infeſtius, quàm quod acutum, aſperum, ſenſum adeoque omnem, propter inæqualitatem, horridiùs afficiens, haud ineptam cenſeas ſuperficiem, tam omni ex parte ſibi ſimilem. Miraberis autem, Exc. Vir, in triſti ha-

ctenus damnatoque corpore laudum titulorumque me quærere materiam, ſed cogita, quæ nos adeo in iſtis tum in aliis adſpernamur, plurimum à colore & præjudicio morali trahere. Latent tamen hic quoque vitia jamjam dicenda, nam, ut nihil in noſtris undique beatum, ita neque hic inviolata eſt corporis proportio: imo in ipſo capite, à rotunditate, firmitate & pilorum figurâ modò laudato, manifeſta eſt fæditatis nota, narium nimia depresſio & latisſimus circa baſin hiatus: nempe, nares ſunt veluti limbus extra planum vultus projectus, cujus uti juſta proportio ad decus & ornamentum, ſic acutior & gibboſa vel arcuata cavitas ad dehoneſtamentum plani modeſtè tumeſcentis eſt comparata; ipſa deinde narium baſis retuſa, illepidum præbet cavitatum adſpectum; quæ ipſa tamen hiatuum latitudo, ſi Phyſiognomis impunè creditur, ſignum eſt roboris & patientiæ in labores ſufficientis, uti id quoque improbo, & plus quàm piſtrinenſi

ſtrinenſi labore in Sacchari confecturâ oſtendunt. Videtur utique aër undique collectus, & liberaliùs in hiatum illum receptus, latera per reſpirationem tenſionemque diaphragmatis validiùs firmare, & artuum ſimul muſculorumque motum in majus augere. Atque hinc ſine dubio eſt, quod Æthiopes feminæ πρὸς τὴν ἀνακλινοπάλην, ad ſacra ſuſtinendum pygiaca, qui ipſe etiam eſt muſculorum labor, ſint durisſimæ & quaſi inexſaturatæ, & quod amant, impenſiùs multò quàm noſtræ depereant. Accedunt deinde in deformitatis argumentum repanda labra, dentium illas ſeries, quas tegi ſatius erat, nimis apertè oſtendentia. Colli autem brevitas & guloſus tumor cæteram proportionem haud dubiè vitiabat, quod cum à creſcente ibi pinguedine, aut cartilaginum aſperæ arteriæ configuratione eſſe conjicerem, offendi in ipſâ ſectione membraneum glanduloſumque corpus, ſcuto cartilagineo, quâ patet, obnatum, ſphæricum & duarum unciarum

rum æquans diametrum, juſtam gulæ prominentiam corrumpens. Equidem, niſi me omnia fallunt, is ipſe tumor eſt, qui montanis gentibus à nivatis, ut ferunt, aquis in immenſum excreſcit, Bronchocele nominatus, magnâ pulcritudinis fiduciâ: quod an omnibus perinde Nigritis eveniat, an vero caſu & ad cœli mutationem huic uni feminæ obtigerit, dicere nec audeo nec poſſum; ſaltem conſimile ego tuber olim in canis vetuli gulâ deprehendi, &, ſi quid rectè oculis meis uſus ſum, videor talem colli eminentiam in aliis quoque Nigritis adnotaſſe. Ut adeoque ſine labe non ſit hæc proportio, & præter vultus perverſa lineamenta, etiam gulæ iſte tumor figuram corporis depravet, niſi fortè Nigritarum quoque ſit fatum, quod eſt montanorum, & uterque pari invidiâ in tumore illo exultent: quò conſtet ægrè admodum judicium de pulcritudine aut deformitate gentium ferri poſſe, & ſuam cuique formam, utut inconcinnam,

cinnam, maximè placere. Eſt hoc proprium pleriſque nihil rectum putare, niſi quod ſibi Natura indulſit, etiam mancum & inutile, quaſi alterius minùs ſtudioſa; nonnullis contrà grave & moleſtum, quam acceperunt ſic ſatis juſtam aptamque membrorum ſeriem, intemeratam ſervare; hinc ſuis ipſi manibus & ferro proportionis illum decorem fædant, lacerant, &, quantum poſſunt, diſtorquent, quod Barbarorum eſſe, imo & aliarum gentium, inſtitutum jam vulgò innotuit. Dubitare autem amplius non poſſum, ut eſt naturalis quidam & modeſtus ſui amor, quin in illa narium figurâ, in bilibribus & repandis labris, in illo capillorum ſeſe criſpantium rigore Nigritæ valde gaudeant, & prærogativam ſibi deberi exiſtiment. Verùm, ut ſemel aliquid de Corporis figuratâ proportione decernatur, ſeponenda ſunt partium ſtudia, & cum ipsâ ratione calculus ineundus.

Caput Secundum.

Tentatur habitus externi ſeu figuræ corporeæ proportio. In quo conſiſtat pulcritudo; eamque vel veram eſſe & in naturali harmoniâ fundatam, aut imaginariam, id eſt, virtutis aliquâ aut utilitatis ſpecie commendatam, experimentis variis, etiam Macrocephalorum iſto, decernitur. De Nigritarum habitu exemplo priorum fertur judicium.

PRimùm autem, quod pace Tuâ liceat feciſſe, haud ineptè pulcritudinem omnem in veram atque imaginariam diſtinxerim; quarum illa numeris & ratione conſtat mathematicâ, atque in ſolâ figurarum συμμετρίᾳ atque ad uſum habitudine, hæc præter opinionem nihil habet, proportioni veræ perſæpe adverſa, & tamen utilitatis aliquâ vel fortitudinis ſpecie adumbrata; quod adeo verum eſt, ut Barbarorum nonnulli figuram haud inconcinnam nacti, non herbarum tantum ſuccis & glutine, ſed & vulneribus deturpare

pul-

pulcritudinem duxerint, herôicam ſcilicet & patientiæ militaris teſtem: quare plurima, ſi ſecundum veram proportionem æſtimentur naturâ & proportione fæda, opinione pulcra fiunt; quod ut melius conſtet, expende mecum, quàm ſingulis nationibus peculiare ſit membra quædam artificioſiùs fingere, aut ſi Dîs placet, in ſpecioſam pulcritudinem corrumpere; nam, cum aliam & pejorem figuram arte inducimus, Naturæ hoc ludibrio fieri exiſtimandum eſt. In Auribus nobis quoque familiare, eas capitis plano profundiùs adſtringere, quas Natura laxius ſemoverat, magis certè imaginariæ quàm veræ pulcritudinis ſtudio. Nimirum, non de nihilo eſt à Naturâ conſultum, ut aures prominerent, atque ex latiore baſi in anguſtius foramen cochleato ductu volverentur, quò ſic ſonorum ſpecies auribus molliter acciderent, & undulans usque aër, tam diverſis prominentiis tabulatisque alliſus, in ſe rediret fortior; ſive etiam,

ut iter illud ſpecierum à proximis & peregrinis aëris tincturis ſervaretur immune. Quid quod hunc defectum nonnullæ gentes manifeſtè prodant, dum factis in ſubſidium inſtrumentis, Hiſpani *Sarbatana* vocant, latisſimum illum & exſtantem auris limbum, olim præpoſterâ curâ collapſum, reſtituunt. Sanè Galenus etiam in hoc prætextos eſſe lobos exiſtimavit, ut ſpecierum multiplicarent diſtinguerentq;, ſonos, ὅτι οὐ μόνον, inquit, ἀποκωλύσειν ἔμελλε τὰ περιτεταγμένα τὴν τῆς Φωνῆς ἔμπλωσιν, ἀλλὰ καὶ προσεπηχήσειν τι. Ut ambigere debeam, an Phyſiognomi jure arbitrentur, quando prominulas extra caput aures cujus, neſcio, animi prædicent argumentum; cùm id Naturæ fiat inſtituto, & vis quædam ſit efferentes ſe ſe lobos arctiùs compeſcere, ac molles ſpecierum avertere illapſus: ſed tamen hæc fieri nunc videntur vel in phyſiognomorum gratiam, ne productiores atque auritæ partes ſuſpectam redderent meliorem noſtrî ſubſtantiam; ſed verò jam antè Poëta,

Eſt in hoc Ruſſorum & ipſorum Æthiopum mos magis integer, quam noſtrorum, quippe quibus pars iſta liberaliùs propendet, nullâ olim vi adſtricta; ut neſciam, an veræ ſit pulcritudinis indicium, aures gerere ad caput acclinatas & veluti planas, quod tamen conſequuntur nutriculæ galeris atque ligaturis, quibus jam à primâ ætate caput & ipſas aures adſtringunt. Certè nec Majorum olim noſtrorum, nec aliarum hodie gentium ea eſt inſania, ut, quod Natura in propatulo eſſe voluit, tanquam probroſum abſcondant, aut invertant. Verùm non in levibus tantùm hæſit vitiandi illud ſtudium, ſed ad majora quoque, & ipſam corporis noſtri ἀκρόπολιν, caput, tranſiit; nam, quaſi puderet naturalis proportionis, in longum & acutum illud faſtigiare laborioſè conati ſunt, qui apud Hippocratem memorantur, Macrocephali, turritæ Cybeles imitatores, τοὺς μακροτάτην ἔχοντας κεφαλὴν γενναιοτάτους ἡγούμενοι:

ubi

ubi apparet generoſitatem raptam fuiſſe in materiam pulcritudinis, & pulcrum id viſum, quod fortitudinem haberet conjunctam; paulò aliter atque hodie præpoſterâ opinione apud Americanos, carnes proprias cutisque fibras acie diffindere, mox aſperrimis crudelibusque ſuccis diſtinguere, pulcrum habetur & oppidò elegans, dummodo fortis ſit & virilis animi argumentum, dixerim, etiam carnificis: hi verò quid agunt aliud, quàm ut affectatâ animoſitatis laude ſibi Naturæque barbaro exemplo imponant. Recenſentur apud Arrianum in Periplo maris Erythræi, nationes mirè ex vultu deformatæ, *ἱπποπρόσωποι*, *μακροπρόσωποι*, *πλατυπρόσωποι*, quas primùm arte hanc ſibi fictam pulcritudinem adſciviſſe eſt veriſimile, quemadmodum illos etiam, qui eodem loco vocantur *ἐκτεθλιμμένοι τὴν ῥῖνα*; videtur enim vis quædam verbo iſto designari. Plurimi, qui in veterum excutiendis ſcriniis operam navant, omnes gentium, quæ in

ultima

ultima terrarum rejectæ ſunt, deſcriptiones ſuperſtitioſæ vanitatis damnare ſuſtinent, &, quæ navigantibus non patent loca, ea continuò monſtris, ſpectris, & quibus non μορμωλυκείοις obnoxia credere, miſerum arbitrantur atq; inconſultæ mentis argumentum; verùm ut liberali & plusquàm poëticâ indulgentiâ ab Hiſtoricis vetuſtis in hac parte ſit peccatum, tamen negandum non eſt, multa in ultimis & novis terris reperiri, quæ aliis peregrina videantur & in monſtris habenda: nam, ne quid de Æthiopum variis quæſitisque labrorum, narium, genarum, auriumque corruptelis dicam, in Americâ ſingulis ferè gentibus peculiaris eſt & patria corpus lacerandi conſuetudo, & apud ipſos Braſilianos vulgatisſimum, infantum, ut primum lucem adſpiciunt, nares propriis manibus ἐκθλίβεσθαι, retundere, fingere, & ad imaginariam pulcritudinem (adeo venuſtatem in ſimitate quærunt) violentiâ diſponere. Nigritæ autem noſtri ſunt illâ etiam parte

velut ἐκτεθλιμμένοι, ſed cui nullum ſubeſſe artis mangonium videtur, ſolâ naturâ rem conficiente, niſi fortè olim adhibita vis in conſuetudinem migravit. Apud Hippocratem verò iſta Macrocephalorum generatio, partim artificio, partim Naturæ adſcribitur; nimirum, caput, in quod deſcendere naſcentes ſolent, molle adhuc & tenerum, manibus primum formare, deinde faſciis conſtringere ſic ſolebant, ut alimento in longitudinem potius quàm latitudinem ſtricturâ expreſſo, ordinaria proportio vitiaretur, faſtigiante ſe ſenſim oſſium frontalium compage: hæc deinde conſuetudo ſæpius frequentata, vel viribus imaginationis aut ideali ſeminum impresſione, in naturam tranſiit, & Macrocephali ſine labore facti ſunt. Nec eſt, cur quis vereatur, ne oſſeum galeatumque caput illam vel manuum aut faſciarum ſtricturam admittat, cum plurimis hactenus exemplis ſit compertum, naſcentium oſſa motus omnis impresſionisque eſſe ſatis

tis ſuperque capacia; nam caput quidem, cujus in geniturâ præcipuæ ſunt partes, ſi non disjunctum in commisſuris, at ſaltem leviore cöalitu ſibi inſertum, & in ipſo, quo coaluit, limbo, cartilagineum vel membranoſum; nequaquam refugere manus violentiam poteſt; quod adeo etiam bonæ fidei obſtetricibus in difficiliore partu obſervatum, ut ſæpe contorta capita & ſtringentes ſeſe commiſſuras manibus refingere neceſſe habeant; imo ego perpetuum hoc eſſe arbitrer, neque aliter partium ægrè cedentium rigori occurri; quomodo enim orificii uteri interni puſilla cavitas tam vaſto corpori æquetur, niſi mobilis & obnoxia membrorum articulatio, maximè ipſius capitis, complicari ſe patiatur, mox naturali ſpirituum niſu priſtinæ redonanda formæ, aut, ſi nimiâ ſiccitate ægrè cedentis oſculi aut vaginæ ſit penitus intorta, artifici manu corrigenda: verùm hac ipsâ etiam manuum vi contingere poteſt, ut oſſa duriùs tractata,

& in obliquum verſa, quam tum ab initio acceperunt impresſionem, ſemper retineant, rotunditasque illa gibbis, faſtigiis, tuberibusque inſolentibus defædetur, & hinc miræ capitum membrorumque formæ, olim ludibrio Phyſiognomorum ſervituræ, oriantur: non enim exiſtimem, figuras tantum ſeminales, ſed & iſtas, quæ inconſideratâ tractatione & violentiâ jam natis ſuperveniunt, facultatem mores animumque mutandi ſatis efficacem habere, uti osſium gibbus obliquitasque à caſu oborta liquidò oſtendunt. Sed non capitis ſolum fuit hoc fatum, artificio corrumpi, verùm etiam pectoris & ventris, nam iſtud quidem faſciis & ligamentis, quibus mulierculæ etiam in ſerâ ætate utuntur, jam maturè & in infantiâ veram proportionem amittit. Poterant autem gentes, quibus ſemper fluxæ laxæque veſtes placuerunt, argumento eſſe, Naturam ſibi relictam proportionis ſtudioſiorem eſſe, quàm artificio ſubactam. Novum non eſt apud

noſtros,

noſtros, oſſa vixdum ſolidata per linteorum ſtricturas peregrinam nanciſci formam, & incurvari pedes, & planos reddi atque acuminatos, aut quo, neſcio, modo affectos; nam hic quoque Chinenſibus, ſubtilisſimæ aliàs genti & proportionum ſtudioſæ, aliquid præter naturam quæſitum. Imò, ſi fas eſt dicere, puto autem fas eſſe, vereor ne plerique Europæi, ſaltem, quos comtiores habemus & formæ ſervientes, pedum juſtum tenorem ſtricturâ iſtâ calceorum perdiderint, quippe quos adeo urunt, ſollicitant, ut intercepto alimenti libero commeatu unguium monſtroſas dolentesque figuras & calloſos perioſtii tumores, tanquam in pœnam alere, & uſum membrorum amittere ſint coacti, imo velint, potius quàm ut ab imaginariâ & miſerabili pulcritudine deſiſtant: quæ pedum intempeſtiva cura, ut ab opinione eſt, ſic non omnibus perinde nationibus probata. Poſſe autem optimo cuique & proportionis gnarisſimo pulchra vi-

deri, quæ per ſe frivola ſunt atque inepta, Italorum facilè oſtenderint exempla; quibus irreſectos & ferinos ungues in venuſtatis rapere argumentum conſuetum eſt. Hoc Virginibus alibi, hoc Nobilibus, velut inſigne conditionis deberi obſtupui; & tamen, cum monſtrum vulgò, cum Harpyam aut Canidiam deſignamus, in feritatis ſignum, unguium longiùs projectorum hamoſam curvitatem, &, quæ ſunt triſtiora, opponere ſolemus. Putaverim autem longè melius eſſe & Naturæ convenientius, ludibria originis intortasque formas in ſpeciem pulcritudinis extollere, quàm, quæ ipſi in fraudem tam benignæ Matris admiſimus, laudare & congenitâ proportione potiora habere. Hinc Alpini, & qui ſunt in Septentrionis ultimo angulo Samogithæ & Tingoëſi (nam etiam his gulam ita intumeſcere obſervatum) gentilicio errore ex ipſo tumoris, hoc eſt, deformitatis incremento, pulcritudinis æſtimant prærogativam, &, quamvis ſe præ aliis

Europæis beatos prædicent, beatiores tamen inter ſe mutuò iſtos, qui longiſſimum illum alunt maximêque protentum, velut lautius pinguiusque Naturæ donum, in hoc tamen iſtis tolerabiliores, qui nativam proportionem artificio corrumpunt. Verùm enimverò, quoniam Natura omnia ad uſum diſpoſuit, & catenata membrorum ſeries non niſi ad actionem eſt comparata, admodum probabile judico, veræ juſtæque proportionis formam eam eſſe, quæ, etſi deſtinatum opus non aſſequatur, tamen illud non offendat. Sunt nonnulla in ſpeciem pulcra, quæ, ſi ad uſum referas, haud parum ei officiunt; & talis eſt profectò aurium ad caput complanatio, hypochondriorum exilitas virginibus affectata; in quibus, ſi accuratè rationem ineas, neque veram pulcritudinem neque illam ad uſum, quippe quem vitiari alibi oſtendimus, deprehendas; in harpacibus autem ungulis, in tenuitate illâ pedum faſtigioque capitis, deformitatem me-

ram,

ram, omnia præter proportionem & ad uſum malè comparata. Unde apparet Æthiopiſſæ noſtræ corpus figuram habuiſſe non indecentem, &, ſi quæ fuit in lineamentis ſubtilioribusque abſurda proportio, eam non debuiſſe continuò reliquam pulcritudinem infamare, quando nec Europæis omnia ſic reſpondeant, ut non hac vel illâ parte vitium reperiatur, ſi non origine, at ſaltem ſtudio violentiâque contractum.

Caput Tertium.

Attingitur nigredo: eam variam eſſe, nec ſolis Nigritis reſervatam, exemplo Afrorum, Ægyptiorum & in ſeptentrione Tartarorum, definitur. Chuſaus non pro Æthiope, ſed Saraceno, plurimarum linguarum conſentiente nomenclaturâ. Æthiopum nigredo ſingularis, non habitu tantum Corporis, ſed & formæ raritate commendata.

Sed

SEd jam properare me jubes, Vir Exc. ad Nigredinem, eamque, ſi quid in ſe habet dignum examine, curioſiùs decernere. Ut verò Nigredinis natura melius intelligatur, notandum venit, non unum eſſe ejus ſignificatum, & modò ad hunc, modò iſtum colorem, non omnibus numeris nigrum, extendi: ſcio, aliter hodie ex verioribus principiis refingi colorum ſcalas, hic tamen certa me ratio urget, cur malim veteri & pervulgato axiomati inſiſtere, eſſe nimirum duos colores primitivos, Album & Nigrum, ex quorum miſturâ cæteri omnes proveniant; nempe, vulgò receptum eſt, & à multâ retro antiquitate, corporum ſuperficies, prout plùs minùsve illuſtrantur, vel ad albedinem aut nigredinem referre; ut adeo ex hac hypotheſi non albi tantùm, ſed & nigri poſitiva ſeu eſſentialis ratio eſſe videatur. Quemadmodum autem alba in genere vocantur, non quæ abſolutè talia, ſed quæ plurimum ex albo trahunt, ſic nigra etiam nominari ſolent,

lent, quæ parum candori, plurimum nigredini debent; eſtque hæc κατάχρησις tam familiaris, ut nullis non nationibus & in omni colorum genere frequentetur. Notum tibi eſt, τὸ ὠχρὸν, χλωρὸν, cùm apud Hippocratem, Theophraſtum, tum maximè Poëtas latisſimum habere ſignificatum, & μέλαν eſſe, quod obſcurum tantùm, quodq; ἰοειδὲς, violaceum, hanc etiam Græcorum licentiam imitante Poëtâ in illo,

Sunt violæ nigræ, ſunt & vaccinia nigra,

Plebis quoque judicio invaluit, ut, quando medius color exactè determinari non poteſt, ad primitivum aliquem, velut ſequeſtrum, recurratur; quin imo Geographi in gentium deſignandâ naturâ licenter admodum omnem colorem vel album aut nigrum nominant, ne ipſi quidem ſeptentrioni parcentes; ubi tamen memorata nigredo longè ab Æthiopum illâ diſtat, imo Europæorum candori propior eſt, quam Æthiopum atritati; adeo leviculum ab albo vernu-

vernuloque colore diſcrimen nigredi-nis nomine venire ſolet. Ruſſos Tartarosque in albos & nigros diſtingui cognitum eſt, & tamen, qui nigerrimi omnium ſunt, Olivæ non excedunt ſuſcitatem, ut fideli navigantium obſervatione conſtat. Africæ & Europæ habitatores quantùm à ſe colore differant in confeſſo eſt, & tamen iſtis nigredinis character, hiſce albedinis tribuitur; verùm tot hic ſunt colorum luſus, ut, qui in Europâ degunt, nonnullis ſæpe Afris magis nigreſcant, contrà, qui in Africâ, Europæis quibusdam ſint candidiores: certè in Septentrione Americæ reperit Forbiſſerus nigriores multò homines, quàm circa meridiem; & in Hiſpaniæ procurrentis angulo Siciliæque receſſibus obſcurior habet color, quàm ſub eodem Aſiæ aut alterius plagæ parallelo. Mauri deinde, & qui Lybiæ incolunt arenas, licet cum Europæis comparati nigri videantur, tamen ſibi relicti candidiores ſunt, ad extremum fuſci; deſinit enim Maurorum illa ob-

ſcuritas, ſubinde iterum illuſtrata, in damnatam Æthiopum nigredinem, rurſum ad plagæ mutationem defecturam; nam qui ultra eum tractum habitant, in promontorio Bonæ ſpei aut S. Laurentii inſulâ, paulùm de Æthiopum iſto colore remittunt, magis deinde fuſci & Mauris ſimiliores, non tam ullâ Solis quàm originis injuriâ: omnes tamen hi nigri appellati, cùm qui interno mari & mediterraneis impoſiti ſunt, tum qui ultra Lybiæ arenoſa, externo & Æthiopico oceano admoventur, Arabes, Ægyptii, Mauri, Æthiopes. Equidem Arabes nigros vocari teſtis eſt magnus Bochartus in præfatione ad geographiam ſacram, idque ſacrorum indicio; nam ad Jeremiæ iſta *nunquid mutabit Chuſæus cutim ſuam?* hæc opportunè addit; *Saracenis color eſt inter fulvum & nigrum, ut Vartomannus autor eſt, qui diu Mechæ habitavit, quò etiam faciunt hæc Chaldai paraphraſtæ Cantic. 1. 5. Nigra fuerunt facies eorum, ut filiorum Chus, qui habitant in tentoriis Kedar:*

hoc

hoc verò eſt, in Arabiâ, ut alibi demonſtrat graviſſimus ſcriptor. Nimirum omnes, qui fuſciorem aut uſtulatum ex parte referunt vultum, nigri ſunt habiti, & inter ipſos maxime Chuſæi ſeu Arabes, ſive quod pertinaciùs tenerent hunc colorem, ut ex illis Prophetæ apparere videtur, ſeu, quòd paulò obſcurior fuſcitas eos reliquis eximeret, non Æthiopibus, cum iſtis enim nullam hactenus habuerant conſuetudinem beati & pro tempore illo humaniores Iſraëlitæ, ſed Aſianis & Ægyptiis; nam his quoque nigredinis inhæſiſſe notam, argumento eſt proverbialis Ægyptiæ nigredinis memoria. Ægyptios certè pariter & Æthiopes, in immenſum tamen diſpares, Herodotus appellare auſus eſt μελάγχροας καὶ οὐλότριχας, imo Heſychio τὸ αἰγυπτιῶσαι μελᾶναι ſignificat, & minaci olim ſenario jactatum,

χρόαν δὲ τὴν σὴν ἥλιος λάμπων φλογὶ
αἰγυπτιώσει.

Sed & eò ſpectat illud feſtiviſſimi Plauti in Pænulo,

Jam

Jam pol ego pugnis totam faciam, ut ſit Morula,
Ita replebo atritate, atrior multo ut ſiet
Quàm Ægyptii, aut qui cortinam ludus per circum ferunt.

Non eſt autem, cur hic ad terram Ægypti nigram, vel ad aquam, quæ propter terram nigra eſt, reſpiciamus, cum illius plagæ incolæ ſponte ad nigredinem propendeant, illam nempe, quam vulgò ſub lato ſignificatu comprehendimus: & deinde, ne quis ex Plutarchi illa ſynonymiâ, quâ Ægyptum Hermochymiam aut Chemiam appellat, ſuſpicionem colligat diverſam, eâdem paſſim invidiâ interpretes, modò ad Chami perſonam, modò ad appellativum Hebræorum nomen, *Chum* i. e. nigredinem, vocis illius ἐτύμον referre ſuſtinuerunt; quo etiam argumento permotus utrique noſtrûm cognitisſimus Abrahamus Berkelius, doctisſimus ille græcæ literaturæ & nuper Stephani Byzantini explicator, in Plutarcho non

χημίαν

χημίαν ſed χυμίαν legendum eſſe cenſet quàm probabili conjecturâ. Sunt ergo nigri Ægyptii, eſt

Nigris Meroe fæcunda colonis,

Sed aliâ paulò ratione; iſti enim modicam obſcuritatem, fuſcam nigredinem, hi abſolutam, &,quanta in hominem cadere poteſt, Æthiopicam conſecuti ſunt, verbo, colorem noctis; ita enim Petronii fragmentum de Meroiticâ ſobole, quæ olim Alexandrinarum mercium pars non ingloria:

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

Nolim autem quenquam hic opinari, quando Æthiopem aut Nigritam nomino, ad colorem me tantùm reſpicere, ſed ad illa quoque vultus lineamenta, tumorem labrorum denſiſſimum, illud retuſius narium planum, illos capillorum laneorum criſpatos flexus, denique formam illam corporis gentiliciam, tamque peculiarem, ut vix alibi conſimilem reperias: atque ita λευκοαιθίοπες Ptolemæi, ita *Dondos* Pur-

chaſii

chaſii (ſic vocantur, qui inter Nigritas albi naſcuntur) etiam in candidâ pelle Æthiopes cenſendi ſunt, cum character ille corporis & vultus omnium ſit unus.

Caput quartum.

QUalis propriè ſit externa nigredinis Æthiopicæ facies, disquiritur; videri nec lætum, nec triſtem nimis colorem; profundam nigredinem, ſi ſplendore illuſtretur, minùs eſſe lugubrem; quæ deinde ſit nigrorum differentia, quis ſuperficiei & villorum contextus, exemplis declaratur;

AT nunc neceſſe eſt colorem accuratiùs inſpicere, non imaginatione aut præjudicio, ſed vero ſui elogio triſtem atque inamænum; nigra certè omnium fere gentium conſenſu inviſa, atque ipſæ infernales pœnæ ſolo nigredinis horrore damnatæ. Si tamen hic Æthiopum judicio ſtandum eſt, perinde omina-

ominalem iſti cenſent albedinem, ac noſtri nigredinem, & in ſuo colore triumphant & mirè gaudent, imo & turpia quæque candidiſſimo, ceu inauſpicato colore, deſignant: fateor quidem non deeſſe ſuam nigredini laudem, &, quod aliis negatum eſt coloribus, haud temere fuci indigere; ſed tamen nec ipſe probare poſſum, quod triſte eſt naturâ, & lucis orbitate caliginoſum: ſed, ne quid hic etiam ab anticipatione mentis oriri videatur, agè, demonſtremus illam nigri proprietatem. Compertiſſimum vulgò eſt, & ex opticâ ratione, nigra lucis radios abſorbere, paucos admodum reflectere, adeoque ſuperficiei gratiam vel nullam ibi eſſe, aut, ſi quæ eſt, occultari, ubi contrà in albedine nudæ ſuperficies pro radiorum variâ modificatione vividè ſe emphaticèque oſtendunt. Concipere licet nigrorum ſuperficies infinitis & profundis ſcrobiculis ſeu acetabulis excavatas, in quæ radii undique collecti detonent, abſumantur & vim reflectendi

 amittant;

amittant; alba autem ſic comparata, ut lucem ſemel admiſſam multò etiam reddant validius, & à convexis fornicatisque ſuperficieculis repellant; quâ certè radiorum actione neceſſe eſt in ſpiritibus opticis, affini lucis ſubſtantiâ, conſimilem tremulumque vibrationis motum excitari; qui deinde in animo ſenſum pariat cùm vividiorem tum lætiorem; illam enim ſpirituum apud nos invicem analogiam eſſe quotidie diſcimus: id verò nunc in Nigritarum gratiam adferre debeo, non omnem nigredinem perinde eſſe triſtem, atque, ut Poëticâ utar phraſi, ἐρεβεννὸν, ſed eſſe etiam, quæ ſplendore vivificetur, & in tantum reflectendi vim habeat, albedinis æmula; nam, uti candidiſſimorum corporum politæ lævigatæque ſuperficies nigredinem referunt, ſic contrà nigræ ex profundioribus ſcrobiculis in ſphærulas aut colliculos elatæ alborum imitantur ſplendorem, fiuntque adeo levi ex cauſâ eodem in ſubjecto diverſæ luminis determinationes. Et verò

nec

nec alba omnia ita pura, ut non etiam vehementiore, quàm ferre oculorum cognata lux poteſt, reflexione ſpiritum perturbent viſumque corrumpant. Nives ſanè, albisſimum corpus, quæ cryſtallinis micationibus, & ſpeculari, hoc eſt, potentisſimâ ſuperficierum convexarum reflexione, ſpiritus iſtos, ad modicæ albedinis ſenſum conſtantes, velut in ἔκςασιν rapiunt, regularem eorum & opticum motum tumultuariè evertunt, &, quod à nullo adeo colore evenit, viſum depravant. Propterea etiam Amantibus in formarum delectu non nuda placet albedo, non pallida aut cadaveroſa, virginibus in chlorôſi familiaris, & tamen, pudet dicere, in commendationem vultus ſæpe quæſita, ſed ſplendida illa, quæ cryſtallinâ niveâque reflexione ſpiritum opticum, & ex eo animum confundit atque mancipat: equidem tam inſidioſa res eſt virginalis albedo, ut vel in ſtatuis picturisque expreſſa nonnullorum provocare amores posſit, & in ſanctisſimo quon-

dam loco provocarit. Per ejuſmodi quoque ſplendorem, mutato ſuperficiei habitu, nigris aliquid gratiæ accedere moroſamque excuti triſticiam dubitandum non eſt, & eſſe ſplendorem cutis in Æthiopibus, quaſi argenteum, qui nigredinis elevet ignominiam. Holoſerica in profundisſimâ nigredine propter ſplendorem, qui à ſuperficie & ſcrobiculorum limbis reſultat, aliquid promittunt læti, &, prout eſt radiorum incidentia, aut villorum ſphærica protuberantia, candorem utcunque repræſentant; quare à funeribus etiam abeſſe ſolent, ſuffectis in eorum locum aſperis, ſtriatis & rigidioribus pannis, quique omne lumen, ceu lætitiæ materiam, ſcrobiculis ſuis & hauriant & ſuffocent. Itaque, ſi hiſce exemplis æſtimare Æthiopum nigredinem æquum eſt, ſatis eſt causæ, cur eam lætiorem appellemus; nam & refulget ſplendidè, & molliciem holoſericorum vel ſuperat, aut certè aſſequitur; ne jam dicam, ut alibi apparebit,

ſubjectæ

ſubjectæ cutis rubore ſic têmpêrari nigrum iſtud & fuliginoſum reticulum, ut aliquid etiam ex illo non obſcurè trahat. Nec tamen opinor præferendum eſſe hunc colorem aliis, niſi quis in nigris, triſtibus, ipſa denique nocte delicii quærat partes; imo, nec ipſi Nigritæ, licet aliquibus indiciis conſtet eos vernaculo colore valde teneri, adeo eum cæteris proponunt, ut non variis adſcitisque ex herbarum genere pigmentis habitum illum ſtudioſè & quaſi in pœnitentiæ ſignum obducant, Faunorum inſtar

Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentes,

ut de Nigritis in Zoffalæ & Melindæ oris memoratum.

Caput Quintum,

Mollicies cutis Æthiopica inuſitata & holoſerica notatur; ejus cauſa illuſtrantur, exemplo florum & canum ex inſulâ D. Thomæ. Singularis obſervatio

tio de calore & tranſpiratione iſtorum animalium.

RAriſſima verò eſt, quæ cum nigredine iſtâ conjungitur, cutis mollicies, & initio quidem horrorem contrectanti incutiens, mox tamen aſſuetæ manui ſpeciem exhibens molliſſimi panni, in vivis majore paulò calore, in mortuis frigore comitata; ita ut ingratum toties algorem ſentirem, quoties improviſa manus ſuperficiem cadaveris feminei vel attingeret aut percurreret; non diſſimili ratione, atque Bombycum iſta pellis in lævi & albâ ſuperficie horridiuſculum frigus alere videtur, mox iterum ad aſperiores ſtriataſque cutis eminentias defecturum; exuviarum enim longè major eſſe calor ſolet, quàm renatæ ſubtus pelliculæ. Non te moretur hic, Vir Excell. quòd, cum nigredinem in concavâ ſtriatâque ſuperficie epoſuerim, idem tamen in Nigritis habitus incredibilis lævoris præbeat ſenſum, quando ad lumen ſuffocandum,

ſocandum, quod eſt nigrorum, figura illa ſatis eſſe posſit; ad duram aſperitatem præter acumen etiam rigor concurrere debeat: pergamus in hanc rem panni lanei & holoſerici exemplo uti, in quorum iſto, extra ſubtegmen elati faciles atque obnoxii villi contrectanti ſtatim cedunt, & ex ſtriatis rectisque fiunt convexi, in tantum etiam nigredine ad candidum ſplendorem declinante; in illo, rigidiores & propter brevitatem magis renitentes, ſi non aſperè, at ſaltem minus molliter ſentienti accidunt & φάσιν difficiliùs mutant. Talis quoque eſt florum nonnullorum in vegetabili regno textura, neque per unum tantùm, ſed varios colores diffuſa: equidem, ſi tactus adhibeas experimentum, in aliorum ſuperficie rigidam & ſetoſam penè duritiem, in aliis mollem & holoſericam planè lævitatem deprehendas, & in eodem quoque flore vario luſu alternantem. Eſt Leucöii lutei ſpecies, cùm propter coloris illam vicisſitudinem, tum ſtrias

maculasque holoſericas Botanicis celebrata; eſt in Violâ ſæpe bicolore arvenſi, & maniſeſtè in Iride Perſica mollis, holoſericus, &, colore tenus, Æthiopicus contextus, propter exſtantium villorum molliculorum & plus quàm capillarium flexilem convexitatem. Imo, ne manifeſtiore ſimilitudine cauſa noſtra deſtituatur, tranſeas velim ad ejusdem ferè plagæ hoſpites & populares Canes, quos Guinea mittit aut inſula S. Thomæ, depiles iſtos atque omni ex parte calvos, ab eodem colore Æthiopico & mollicie bombycinâ commendatos; in hiſce, ſi microſcopiorum & ſagacis conjecturæ ulla fides, cuticulam à ſubjectâ reticulari & fuliginosâ membranâ, de quâ ſuo loco dicemus, in infinitos ſimul villulos, ſed molles & tactui cedere idoneos, extolli animadvertes. Unde ſimilem eſſe cutis texturam in Æthiopibus reor atque in iſtis canibus, & ab expanſione reticuli ſubcuticularis, in molles ſubinde nodos aut villos excreſcentis,

tempe-

temperari cuticulæ rigorem, & quaſi holoſericâ ſuperficie obduci: accedit, copioſam humiditatem, quâ madet cutis Æthiopica, aſperum lævorem plurimùm adjuvare: ſanè, quibus minus ſucci in habitum colligitur, cute ſunt multò & rigidiore & duriore, uti Mauris &, qui Mediterraneum accolunt mare, Europæis contingere ſolet. Id unum nunc patere addam, Vir Exc. ad noſtrum etiam propoſitum ex parte ſpectans, tantam nempe Canibus iſtis, ſivè Afris ſeu inſulanis, adeſſe tranſpirationis effluviorumque calidorum materiam, quantam in nullo animalium notaſſe memini, etſi omni aliàs pilorum copiâ caloriſque fomento deſtituantur, & ad noſtrum hunc frigidiorem aërem contremiſcant. Unde conjeci animalis hoc genus, ad transplantationis commoda (in calidiorem enim temperiem faciliùs abire morborum ſemina compertum eſt) & ad naturam Senum frigidorumque refovendam utilisſimum eſſe. Obſervaverat

verat jam olim, & illuſtri Germanorum Societati indicaverat Celeberrimus meritò D.D. Langelottus, hiſtoriam Canis depilis, Epilepſiam in ſe corporis propinquitate derivantis, ægro in totum liberato. Ut Septentrio nunc quoque ludicra in remedium admittere poſſit, & perinde voluptaria ſit frigoris morborumque medela, ſicut eſſe caloris & affectuum per frigida animalia in ſerventioribus plagis ſolet. Eſt nempe Draconum ſeu Serpentum ibi ſingularis uſus, qui, dum lævi & frigidâ ſuperficie nitroſorumq; effluviorum emiſſione cutim percellunt, calorem vehementiorem ſanguinisque orgasmum ſpecioſè coërcent, virginalium magna pars deliciarum. Nondum tamen obſervare potui, num in Nigritis vivis eadem ſit tranſpirationis conditio quæ eſt in canibus illis, quamvis in eam ſententiam ut propendeam, plura ſuadere videantur, & quod ſuo loco adducturus ſum experimentum.

Caput

Caput Sextum.

Nitor argentei ſplendoris æmulus unde oriatur in cute Nigritarum. Exigitur corporum noſtrorum ſuperficies & peculiaris ſplendor; deberi eum partim ſanguinis efferveſcentiæ cutim expandentis, partim tenſioni ſpirituum in nerveas tuboloſaſque cutis veſicellas influentium, tandem etiam rori alicui aut ſucco ſuperficiem oblinenti, variis experimentis aſſeritur.

DE Nitore autem, qui in Æthiopum luceſcit habitu, mirabile eſt, eum noſtro illo eſſe vehementiorem, & ut eſt radiorum incidentia, argentei quoque ſplendoris æmulum. Alimus ſinguli peculiarem in hoc corpore lucem, quæ per vultus undulans lineamenta, ſi accuratè expenditur, vigorem & deliquia valitudinis haud dubiè indicat. At longè eſt Æthiopum ille ſplendor

dor noſtro potentior, & quaſi lævore olei conciliatus, qui unde originem ſumat, nemo facilè dixerit, niſi qui ſecum & cum experimentis rationem bene putârit, quæ ego ex hac parte, quamvis exili, & plura deſidero & accuratiora. In univerſum haud ineptum judico, deberi illum nitorem, partim ſpirituum ſanguinisque raritati, partim unguini cuidam volatili & lentè per cuticulam diffuſo. Eſt cutis paſſim noſtra infinitis & plùs quàm capillaribus vaſculis fibrillisque nerveis pertexta, quorum tumor & ſubſidentia pro naturâ & raritate fluidorum non colorem tantùm ſed & nitorem ejus mirificè variant. Effervescentiæ autem præcipuæ hìc ſunt partes, quæ, prout ſanguinem in capillaribus modificat, & ſpiritum in ſphærulis aut veſiculis cutis papillaribus expandit, ita vel triſtiorem aut vividiorem nobis fulgorem adſpirat. Longè alia certè eſt lux noſtra vivo & bene habito corpore, quàm deficiente eo, in moribundis autem planè collapſa, & Hippocratici vùltus

tus potiſſima nota; refugiente enim ex utriculis nerveis ſpiritu, ſuperficies velut ſubſidit & complanatur lucem recuſans. Putem autem, ut hoc adjiciam, quæ convexam nacta ſunt ſuperficiem, potentius lumen repercutere, quàm quæ plana ſunt, & omnibus punctis illud æqualiter hauriunt; atque inde albedinem quidem in morbis ipſâque morte intendi, ſed vitalem & expanſivam lucem interire. Quòd ſi minima quæque circa hoc argumentum intelligeremus, non dubitarem, quin magna prognoſticis acceſsio, magna Medicis autoritas per hoc fieret, & inopinæ ſæpe mortes prædici ex vultu poſſent. Annon aliquando cadaveroſus pallor in vivis deprehenſus indicium fuit fati imminentis, repulſis ſubitò præter naturam ad interiora ſpiritibus deſertâque ſuperficie? Talis ergò nitor à ſanguinis ſpirituumque vi elaſticâ ortus, omnibus eſt gentibus ipſisque Æthiopibus proprius; licèt alia quoque accedat cauſa, quæ ſplendorem hunc in plurimis & in

Æthiopi-

Æthiopibus maximè foveat, eaque externa & poſitiva, unguinoſus nempe, cryſtallinus & mercurialis halitus, texturâ illâ porulorum inſenſiliter exſudans; nam ne craſſum illud eſſe aut copioſum exiſtimem, tactus jubent experimenta: mercurialem voco halitum, qui Mercurii inſtar micet, habitumque leviter occupet. In dealbandis metallis notum eſt, quàm exiguum ſæpe Mercurii momentum ingentem ſuperficiem perambulet tincturâque ſuâ imbuat. Nitor autem in nigredine Æthiopicâ lituræ mercuriali haud eſt abſimilis, nam obſcuritatem aliàs triſtem efficaciùs animat; ut adeò, ſi colore non poſſunt, poſſint certè fulgore ſuo faſtum nobis facere fumoſa Nigritarum corpora. Scio pluribus eſſe animalibus ſuperficiale quoddam & ſplendidum unguen, imprimis piſcibus, ad natandi uſus comparatum, non albis tantùm, ſed & nigris μαλακοδέρμοις (nam ne ſolis hominibus colorum iſta æmulatio conceſſa videatur, etiam in piſces va-

rietas

rietas deſcendit) & omnium immaniſſimis Cete liberaliter ſuperfuſum, ut ne ad aëris diuturniorem uſum ſicca aut aſpera cutis aquarum morari illapſus poſſit, mergendique & nandi neceſſitatem intervertere. In pilis autem & plumis animalium amphibiorum emicans ſplendor, quemadmodum ſubinde ſucci inguinalis glanduloſi, quem in Meditatione de vitâ ſub aquis attigi, debetur linimento, ſic etiam maximè à naturali humoris nutricii aëreique fluidi, quod in pilis copioſum eſſe oſtendemus, oritur expanſione; quippe per hanc ipſam eſt, quod rigeſcant viventium pili mediis in aquis, etiam poſt mortem, ſed violentam; nam tabificâ, ut in homine quoq; accidit, fulgorem iſtum intercidere, pellium delectus ſatis ſuperque docuerit. Ne quid autem temere agere videar, putem præter illam ſpirituum in extremis tenſionem, omnes propemodum animantes, & ipſum imprimis hominem, perfundi ſecretiore quodam & unguinoſo ſucco, qui in ſuperficiem

perficiem non tantùm erepat, ſed cutis ipſiusque cuticulæ texturam penetret, emolliat, ne ipſarum ſiccitas & naturalis rigor ſubjectarum partium uſum, ſive ſenſum ſeu motum, impadire poſſit. Notiſſimum eſt, duriores paſſim corporis habitus ad tactum minùs bene eſſe compoſitos, quemadmodum illos etiam, qui nimio diffluunt humore, molles, *Deliaci manu reciſi*; unde temperiem congruam, quâ opus eſſe ad ſenſum tactus exiſtimabant, nulli adeò parti tribuere auſi ſunt Anatomici, præterquàm cuti. Siccitate verò nimiâ papillas nerveas validiùs conſtringi, & ſi quis eſt in ſpiritibus ſeſe expandendi conatus, ſoliditate texturæ contractioris retineri probabile eſt, cui emendando ut omnis humiditas inſervire poſſit, tamen nullum eſſe in hanc rem efficacius remedium, quàm oleum, membranarum, chordarum, nervearumque fidium præparatio quotidie docet; nam non ſuperficiem tantùm ſed minima etiam contextus penetrat, lævoreque
ſe

ſe ſuo & particularum viſcoſâ hamoſitate aëris inſultibus ſic ſatis opponit, quod in nullâ adeo humiditate reperias. Ex quibus judicaverim unguinis iſtius ſuperficialis non in nobis modò, ſed in Nigritis quoque, propter immenſam aëris ſiccitatem, uſum eſſe maximum. Imò hæc fortè ipſa ſit ratio, cur Æthiopes, quod in itinerum commentariis legiſſe memini, aridam nimis cutim oleo pinguedineq; animalium ſtudioſè emolliant, ut ne ſcilicet nimio ſquâlore & infensâ ſiccitate membrorum uſus intereat: quamvis non hanc tantùm, ſed potiorem quoque cauſam ſubeſſe intelligam, caloris temperamentum, niſi prodigio ſimile videatur, calorem oleo temperari. At verò experimentis cognitum eſt, nihil tam obſtinatè admiſſum ſemel calorem cuſtodire, quàm nigra, quia nihil à ſuperficie reflectunt, omne intro convertunt, ferente huc minimorum texturâ; nigrorum autem ſuperficies, ut jam ante diximus, in acetabulorum ſpeciem efformatæ

matæ recipiunt tantùm & abſorbent luminoſos calidosque radios, quos convexæ validiùs à ſe repellunt: hinc Nigritarum corpora, poſtquam exſiccata ſunt, æſtus multò impatientiora, quàm humida unguineque delibuta; hujus enim præſentiâ eductus calore cuticularis ſuccus nonnihil compenſatur æſtusque depellitur: quippe olei iſtæ ſive ſphærulæ ſeu viſcoſi hami aſperæ & ſiccæ nigredinis cuniculos facilè explent, ſuperficiemq vel lævem reddunt aut planam, certè talem, à quâ reſilire utcunque immiſſi radii poſſint & calorem imminuere. Ex illâ quoque nigrorum ratione ad veſtium colorem habitumque in itineribus attendant oportet, quibus aliqua corporis ſui cura eſt, nec promiſcuè alba in hyemem, obſcura aut nigra in æſtatem rejicienda; hiſce enim calor maximè conſervatur ſemel impreſſus, illis excipitur tantùm. Pileorum itaque alborum, & ex albâ promiſſâque lanâ penularum apparatus, militaris uſus oportuna inventa,

venta, non niſi æſtatem ſibi poſcunt, cæteris anni partibus damnanda, ubi nigrorum iterum fructuoſius compendium; quod equidem notare velim curioſolos & molliculos juvenes, qui, ut minima quæque veſtiariæ pompæ in uſum transferant, tuorum hic, Vir Exc. popularium intempeſtivâ æmulatione & in militarem uſum repertis figuris coloribusque in vitâ hâc civili quietisque ſtudiosâ vanisſimè ſuperbiunt, ludibria potius Gallorum quàm imitatores. Delectum autem eſſe habendum colorum vel maximè ſuaſerit vitrorum cauſticorum experimentum, quibus longè promtiùs nigra quæque calefiunt & accenduntur, quàm alba, intacta ferè, aut ſerò & non niſi operosè inflammanda.

Caput Septimum.

Nigredo Æthiopica, ejusque cauſa materialis & proxima deducitur: hactenus conjecturâ tantùm definita experimento

mento Æthiopiſſæ in lucem prodit. Conſiſtere eam in membranulâ quadam, reticulatâ, pingui, unguinosâ, & fuligine delibutâ, cutim inter cuticulamque repoſitâ, per cuticulam, quippe quæ lucida eſt, transparente, cutisque colorem, album & noſtro etiam candore non inferiorem, obducente, demonſtratur. In hujus rei argumentum plura accedunt & uvea oculi tunica & aliorum exempla.

UT ne ergo in externis & ſuperficialibus hæream, atque tuum, Vir Exc. morer deſiderium, perſpicienda nunc eſt nigredinis illius, quam hactenus obiter modò attigi, vera & materialis cauſa, & non conjecturâ ſolùm, ſed vivo atque oculato experimento demonſtranda, quando fortunæ quodam munere nuper in manus noſtras incidit Æthiopiſſæ cadaver, cujus occaſione hanc lucubrationem aggresſi ſumus. Fuerunt quidem antè nonnulli, qui ſuſpicione in cauſam nigredinis ſunt adducti, ſed ſive oculorum fide minùs

rectè

rectè ſint uſi, ſeu improvida manus inceptum defecerit, nihil exactè aut naturæ convenienter definiverunt. Eſt aliquid, quod teſtatur veſtras ille magnus Riolanus Cap. IV. operis ſui de cuticulâ; *Nigredo*, inquit, *Æthiopum ſolam cuticulam inficit, ut nuper in Æthiope ad Anatomiam diſſecto vidimus:* ſed plura exſpectantem nimis facilè ſuſpendit; nam cuticulæ quidem ad nigredinem iſtam non alius eſt reſpectus, quàm cutis, neutra enim propriè inficitur, cùm hæc opaca ſit & candida, illa etiam, quàm Europæorum ulla, magis pelluceat; quamvis hanc quoque opacam eſſe naturaliter, magni nominis Scriptor nuper admodum voluerit, infelici, niſi fallor, & ex Æthiopum illo habitu redarguendo experimento; eſt enim membranula, &, ut cæteræ, quæ ſuperficiem viſcerum proximè ambiunt, pellucidisſima. Ab altero Piſone, & ipſo viro rarisſimæ in talibus diligentiæ, cùm plures habuerit ſecandi occaſiones, id tantùm adfertur paulò cu-

rioſius, *nempe reperiſſe ſe, nigredinem illam non ultra cutim penetraſſe, quòd cuticulâ ſive epidermide ablatâ inferior cutis omnimodam corporum Europæorum referret albedinem*; id quod à Medico etiam Anglo didiciſſe ſe illuſtris narrat Boylæus. Tandem verò divinâ conjecturâ rem ipſam ſine experimento, ut mihi quidem videtur, aſſecutus eſt ingenioſiſſimus & plus quàm lynceus Anatomicus M. Malpighius, cujus in res Phyſicas, tum maximè Anatomiam, meritis quidquid eſt hominum venuſtiorum jure aſſurrexerit;is autem Exercitat. de Tactus organo ad illuſtriſſimum Comitem Jacobum Ruffum; poſtquam *cribroſi & reticularis corporis, cuticulam inter & cutim per varias animalium partes, & ipſam imprimis linguam diſperſi* fecit mentionem,tandem in hæc erumpit verba: *ex quo tranſeunter deduco, non incongruam fortè nigredinis Æthiopum cauſam; certum enim eſt ipſis cutim albam eſſe, ſicuti eſt cuticula, unde tota nigredo à ſubiecto mucoſo & reticulari*

lari corpore ortum trahit. Eſt ergo pingue quid & mucoſum, quod utramque membranam molliter diſtinguat,quod, ut ante Malpighium nemo detexit, ita in Æthiopiſſâ nudis illud oculis maniſeſtè contemplati ſumus, in araneatâ tenuitate nigrum, opacum, &, ſi conglobetur, cuticulæ nitorem ſpecularem obfuſcans. Fateor, cum ſepararemus primùm cuticulam, factum eſſe, ut corporis mucoſi & reticularis, ſi enim appellare nunc conſtitui cum Malpighio, partes ſubjectæ cuti adhæreſcerent, adeoque ſuſpicionem injicerent nigredinis cuti intextæ, ſed, poſtquam diligentiùs verſare ſuperficiem cœpimus,apparuit luſum eum fuiſſe meticuloſæ manus & nimis temere pendentis; vidimus enim, etſi diſtincta ſit membranula, tamen affinem magis eſſe & obſtrictam cuticulæ quàm cuti; quippe ſæpius experiundo, calore cerei, aquæ, ipsâ denique novaculâ, à cute faciliùs quàm cuticulâ ſecedere reticulare illud textum deprehendebatur; atque inde,

 niſi

niſi prudenti tractu manus regantur oculique, apparet nigredo iſta cuticulæ agglutinata & velut ejus propria, quam tamen ſeparari etiam iſtinc poſſe vel digiti in mucum illum ſatis firmi oſtenderint. Itaque ex hac paulo negligentiore curâ accidiſſe arbitror, quòd nonnullis viſa ſit hæc nigredo cuticulam tantùm inficere, cùm revera neutram imbuat, neque cutim nec cuticulam, ab utrâque perinde ſeparabilis; nam cuticulam exhibuimus modò pellucidam, tenuem, &, ut cum Satyrico loquar, *venti inſtar textilis*, modò reticulati & fuliginoſi plexus coalitu nigriorem, tandem quoque expanſione ejus cancellatâ remisſiorem, & nonnihil pellucentem, ut ſolet fieri, quando explanatis telis filisque lineis lucem pleniùs per poros admittimus. Verum etiam oſtendimus liquidò in Æthiopiſſâ noſtrâ cutim candidiorem, & ſuis illis notis inſignem, quibus aliàs gaudere Europæorum cutis ſolet. Quare, ſi mucosâ & reticulari fuligine cuticulam orbarem

orbarem naturâ diaphanam, & mox imponerem cuti, emerſit continuò albedo, illa in Europæis ſic ſatis ſpectata; quin haud illepida erat rei facies, quando hinc inde abraſâ membranulâ nigrâ variegatus refulſit & bicolor habitus, ſicut eſſe ovium ſolet aut canum, ubi ad cutim tondentur. Illa autem membranula, Vir Exc. microſcopio luſtrata, quod Malpighius conjecerat, planè exhibuit plexum reticularem velut denſâ fuligine obſitum, expanſione ſuâ nonnihil lucidiorem, contractione opaciorem; ad manuum verò experimentum mollicula videbatur, & tenacioris muci, ſeu tunicæ retiformis, quæ interiora oculi obvelat, æmula, quam etſi Galenus χιτῶνα ἐδαμῶς εἶναι, ἔτε τὴν χροιὰν ἔτε τὴν ἐσίαν aſſerat, tamen non membranæ dumtaxat, ſed & tunicæ mereri nomen, quod hactenus etiam obtinuit, mea eſt ſententia. Quod ad colorem attinet, videtur enim propiùs cauſam noſtram reſpicere, eſt is membraneus aut pellucidus, niſi enim eſſet,

nequaquam transpareret ſubjecta Uvea, colore reticulari huic & fuliginoſæ Æthiopum membranæ perſimilis:ut adeo in comparatione colorum cuticula, retiformi ſeu mucoſæ oculi tunicæ reſpondeat, textum illud reticulare nigrum, Uveæ. Quod vero ſubſtantiam ſpectat membranæ oculi, eſt illa tenuis, araneata, ſi ulla, & in hoc ſingularis; non, qualem Galenus ſibi finxit, mucoſa & in pingues ſtrias convoluta, non eſt enim extentæ aut inveſtientis illa figura, ſed collapſæ jam & plicatæ. Sed cum hæc retiformis tenuitatis tantùm reſpectu noſtrum hunc referat ſubcuticularem plexum,Uveæ colorem in partes vocare neceſſum fuit, ut inde aliquid lucis negotio noſtro commodaremus. Equidem Uvea manibus tractata oleoſam nigredinem facilè refundit, quò intelligatur unguinoſum quid reticulatis fibrillarum nervearum plexibus ſuperinduci, & tranſituram alias lucem præpedire: quid,quòd illa Uveæ fuligo haud ſollicitè quærenti in duræ
etiam

etiam tunicæ ſuperficie offendatur, ſolet enim in vivis quoque ſectionibus ſemper aliquid ejus adhæreſcere. Imo eadem planè conditio eſt Uveæ in inſectis, ubi propter vaſtisſimam oculorum convexitatem & infinitos cancellos, quibus ſuccingitur, omnes ejus affectiones luculentiùs apparent. Non poſſum antem hic præterire, quod de tunica hac Celeberr. Williſius lib. de animâ Brutorum ajt: *tunica hæc in plerisque animalibus nigricans in ſuperficie concavâ vel convexâ nigro quaſi pigmento obducitur, quod etiam tunicæ alteri contiguæ affigitur.* Accedit Honorati Fabri, gravisſimi Philoſophi, teſtimonium; *proceſſus*, inquit, *ciliares nigri ſunt, quia ex hujusmodi corpusculis ſtriatis conſtant; hinc facilè manui adhæreſcunt, ad inſtar tenuisſimi & tenacisſimi pulveris*: ſunt autem proceſſus iſti protenſa uveæ filamenta, eodem ſucco oleagineo perfuſa. Huic ergo Uveæ membrana noſtra Æthiopica perquam ſimilis, quippe quæ & nigredinem fundat, & adſitis parti-

bus

bus manifeſtè adfricet, ita tamen, ut elui posſit, redeunte antiquo illo & à noſtris nihil diverſo cutis nitore; imo expertus ſum in recenti membranulâ, totam ferè reticulis ſuis excuti fuliginem poſſe. Quid verò reticulum illud mucoſum, membraneum, tam arctè jungeret medium, cutim inter & cuticulam, niſi nodoſa interveniret & glutinoſa plexuum reticularium interſectio; unde adeoque dependet, quòd non niſi cum labore & adhibitâ curâ ſeparari posſit. Illa autem ſive filamenta ſeu fibræ texti reticularis non æquè pasſim copioſæ aut eâdem denſitate coäctæ reperiebantur, ſed alibi ſparſæ erant atque diductæ, ut remisſior nigredo & transparens ſubjectæ cutis rubor ſignificabant, in vultu imprimis genis & brachiis; alibi contrà, denſæ & opacæ plenamque noctem admittentes, ut hodieque exſiccatæ cutis teſtimonio probari poteſt, ubi, etſi pasſim propter ſiccitatem fibræ membraneæ ſint compreſſæ magis atque in ſe revo-
lutæ,

lutæ, tamen in nonnullis quoque partibus latisſimè à ſe diſtare deprehenduntur, cute transparente. In manuum autem pedumq;callis omnia invenimus duriora atque candidiora, ita ut vix differre à noſtro habitu viderentur; nempe in examine illarum partium non potuimus membranam illam mucoſam offendere, tum quòd arctior pororum in callo textura eam recuſet; tum quòd ſiccitas pinguedinem omnem,quâ adeo conſtat hæc membrana, excludat. Animadverti autem in hoc ipſo cadavere, callum nihil aliud eſſe quàm lamellata cuticulæ ſtrata, denſa & ſicca admodum, tandem etiam cornea, expreſſo omni ſubcuticulari ſucco,niſi per quem olim ſibi invicem jungebantur. Ex quibus aliquando ſuſpicatus ſum, annon per membranam illam adeo pinguem & mucoſam ſenſus tactus in illis gentibus eſſet obſcurior, quàm in noſtri orbis hominibus, nerveis quoque cutis papillis longiùs à cuticulâ remotis. Sanè ut hoc crederem, perſuaſus

ſum

ſum exemplis à Petro Servio & Gabriele Fonſecâ, Medico utroque Romano, memoratis: narrant illi, unus proprio, alter Fratris Roderici experimento, fuiſſe Romæ Piſisque Æthiopiſſas, quæ ignem manibus innoxiè tractarent, ſaltem diutisiſimè ſuſtinerent: quod ipſum vel manuum callo, aut, ſi alibi quoque corporis ea fuit ſenſus patientia, reticuli noſtri mucoſo contextui imputari debuit. Circumſpicienti deinde amplius, quibus nigredo hæc conferri posſit, incidit primùm Canum Guineenſium color à ſimili membranulâ ortus, plurimorum etiam animalium callosæ pulpæ, quas in ſubjectis pedum plantis alunt nigras omnino atque opacas, illa linguæ hinc inde & labrorum, in Equis & Vaccis inprimis, & quam in pudendorum alunt margine, nigredo; nam, hiſce ſi comparavero labrorum & vulvæ Æthiopicæ circumferentiam, nihil me agere poſſe convenientius exiſtimem. Deprehendi autem in iſtis quoq; cuticulam pellucidam non tam fragili

ili, quàm mucoſo, tenaci, duro & igro reticulo, videtur enim ſiccioris emperici, maximè in pudendorum laris, inſterni. Sed non contineo me, uin hic etiam Tibi, Vir Excell. inimiabilis dextræ occurram exemplo; is ergo in docto libello Malpighius, *in pele Suis*, inquit, *quem coctum ilicò habere licuit, detractâ duriore ungulâ, dum ubnigrum quoddam involucrum reticulare ejusdemque naturæ ac in linguâ obſervâram, evello, en, papillas oblongas & ferè pyramidales offendo, quæ velut eductus è vagina enſis emergunt*. Hoc ipſum ergo reticulum eſt illud filamentoſum & membraneum ſubtegmen, quod in Nigritis cutis cuticulæque infringit canlorem, atque in nigredinem obſcuram convertit: ego autem, ſi quid de reticulo judicare debeo, non putem illud pſam eſſe nigredinis materialem cauam, ſed ſubjectum tantùm, & in fuliinosâ viſciditate, quæ ſeſe nodis aut ilis membranæ cancellatis inſperſit, nde unde originem nacta, repoſitam

eſſe

eſſe veram atque indubitatam nigredinis formam. Eſt itaque coloris Æthiopici membraneum ſubjectum, leve, araneatum, toto corpore contiguum: certè, ut non repugnat aurum in tenuisſimum ſive folium ſeu planum redactum laminam eſſe, ita neque hoc, utut tenue & exile textum, à membranarum nomenclaturâ excludendum eſſe arbitror; neque refert; quòd nullæ hic arteriæ intercurrant, cùm nec in cuticulâ neque in illo viſcerum tenui involucro ullo appareant vaſorum veſtigia. Ex quibus manifeſtum eſt, quænam ſit corporis illius nigri & fuliginoſi natura, quàm pertinaciter cuti infixa, quàmque nullâ adeo arte aut loturâ mutabilis, nec fruſtra hactenus jactatum ſit αἰθίοπα λευκαίνειν, pro eo, qui oleum & operam perdit. Sola violentia hic aliquid poteſt, nec præceps illa, ſed ſollicita & curioſa, & in mortuis molli raſurâ pelliculæque detractione tentanda. Uſus ſum variis & durisſimis experimentis ad explorandam ni-

gredinis

gredinis illius conditionem, nihil tamen inde profeci; nam, quod minimè credas, ad omnia illa quantumvis acria pertinax manſit & invicta; lixivia adhibui, aquas fortes, ſpiritus acidos fumantes & calidos, color manſit uſque idem ex corrugatione cutis tantùm ad fuſcitatem nonnihil inclinans murinã: jam verò in exſiccato corio tam arctè coäluerant cum cuticulâ & cute nodi illi membranei & pingues, ut nullâ amplius arte neque cocturâ ſecedere poſſent, connectente utrasque ſuperficies fuliginoſo viſco. An autem hoc ipſum cadaveris culpâ, in quod non facilè corroſiva penetrare ſolent, contigerit, an pinguedinis occaſione ſalina acumina infringentis, non audeo definire. Equidem mandata dedi, ut in vivis conſimile experimentum fieret, ſed partim herorum ſuperſtitio neſcio quid mali metuentium, partim Nigritarum diffidentia inceptum deſtituit; quare ut alii, quibus melior fortuna, hoc ipſum repetant, auctor ſim atque ſuaſor. Diu

deinde mecum deliberavi, utrùm alia quoque eſſet nigredinem experiundi via, & incidit oportunè Variolarum conditio, nam ex hiſce quoque Æthiopes laborare jam antè audiveram: ſed pauca admodùm ſuppetebant, & imprimis unum Illuſtris Boylæi teſtimonium; *Juvenem*, inquit, *vidi Nigritam, quo leviter ex morbillis variolisve laborante (dubium enim erat, uter hic morbus eſſet) deprehendi, virum de ipſo ſollicitum ſciſcitatus, in iſtis locis, ubi tubercula cutim perruperant, poſtquam eſſent perſanata, albeſcentes poſt ſe maculas reliquiſſe.* Hoc poſt plenam accidiſſe curationem ægrè perſuadeor ut credam; nam, ut in candidis corporibus cum tempore vincere ſtigmata illa Natura ſolet, ita in nigris quoque ſuffici novum ſive ſuccum ſeu membranam, mihi quidem videtur neceſſarium: id facilè largiar, non fore tam plenam macularum nigredinem, & relinqui notas, quibus à reliquâ cute diſtinguantur, ſed in totum albeſcere, id paulò eſt inſolentius, nec alio

quàm

quàm vivo experimento demonſtrandum. Obſervavi autem ſectas aut inuſtas cuti cicatrices, quas, ceu ſervitutis olim Turcicæ indicium, in temporibus pedibusque Lunæ falcatæ figurâ alebat, temporum illâ morâ planè nigras fuiſſe redditas, & cæteræ ſuperficiei ſimiles. Tum verò haud fruſtra eſt, quod in præclaris Hafnienſium Actis, ubi in altero hiſtoriarum volumine Æthiopis ex Variolis affecti deducitur morbus, nihil tale narretur, vix ſine negligentiæ culpâ prætereundum. Ut jam in eam veniam ſententiam, non ſemper à variolis mucoſum illum aut reticularem plexum penitus perforari,ſed tum demum, quando acrior ſanies ſolitò diutius intra cuticulam cöercita, non illum tantùm plexum, ſed cutis quoque ipſius erodit ſuperficiem; quò fortè etiam ſpectat, quòd in Æthiopibus, ut Hafnienſes referunt, miliares duntaxat & exiliſſimi macularum orbes reperiantur: ſin verò grandiores variolæ cutim quo-

que lacerant, quod Boylæi ægro accidiſſe crediderim, potuit tardiùs nigredo inſtaurari, neque ita in totum, ut non poſt acris materiæ cauterium textura relinqueretur diſtorta, minùs adeoque idonea ad ſuccum illum atramentoſum ſecernendum, ut ſic fuſci magis apparerent nævi quàm nigri: quippe propter eam quoque cauſam Variolarum ſcrobiculis innaſci pili haud quaquam ſolent, quòd arctior & ſiccior contextus effluvia compeſcat. Quibus tandem experimentis evinci poſſe puto, nigredinem illam Æthiopum materialem, eſſe corpus quoddam organicum, figuratum, certâque præditum proportione, tenue, mucoſum, membraneum, reticulare, pingui & fuliginoſo ſucco perfuſum, cuticulam inter & cutim repoſitum, candoremque cutis, per cuticulam aliàs relucentem, opacâ nigredine infuſcans atque obtenebrans.

Caput Octavum.

MAteria nigredinis, utrum ex tubulis aut

aut glandulis ſudatoriis, an verò ex inſenſilibus poris ſeu tranſpirationis cribro emergat, diſputatur. Videri illam potentiâ tantùm in ſanguine latere, ex ſucco deinde aut halitu limpido ad texti reticularis organicam diſpoſitionem, aut certi ſucci fermentum, actu ſub cuticulâ emergere, adductis in eam rem experimentis.

Unde autem materia illa nigredinis proveniat, & quemadmodum ſeſe pigmentum illud fuliginoſum in reticula plexusvè membraneos inſerat, id cumprimis difficile dictu arbitror. Pertentavimus univerſam cuticulam & cutim, nihil tamen exſpectationi occurrit quod ſatisfaceret; quin etiam elatâ membranâ illâ nigrâ, modo viſu, modò microſcopio & tractu molli digitorum, aditus porosque omnes &, qui inde exſtillat, ſuccum luſtravimus, verùm ſine ullo ſucceſſu. Equidem hinc inde pororum ſeſe extra ſuperficiem exili tractu projicientium oſculis inhæreſce-

re nigredinem vidimus, ſed quæ contagio & nexu proximæ membranæ tranſierat. Ex multis etiam poris iisq; grandioribus, præſertim circa collum, extudimus ſuccum albũ&craſſum, cujus antè apparuerant tumores, ut vulgò puſtulæ, vermiculorum ſæpe incunabula, in noſtro habitu efflorefcere ſolent. Sunt deinde alii etiam tubuli, qui cuti intexuntur puſillis oſculis cuticulam perforantes, ſudorum vehicula, ex hiſce quoq; etſi coactis nihil omnino prodiit. Negaverat quidem vir Clariſſimus cuticulam perviam eſſe, ſed aliundè vix melius demonſtres iſta foraminula, quam Æthiopico vultu, ibi enim, cum pororum oſcilla libera ſint à membraneo & fuliginoſo ſtrato, cryſtallinâ luce& innumerabili agmine tubulos iſtos nigredinem ſignare animadvertas. Et verò nullos alios poros reperire toto habitu licuit, niſi quos infinitos cùm oculis noſtris tum microſcopio Natura invidit, nimiùm quàm exiles. Nempe, tres tantùm viæ ſunt, per quas aliquid
in

in ſuperficiem corporis èxponitur: una notabilis & oculos vix effugiens, pori ſeu tubuli cutanei, ſingulis glandulis e-naſcentes, ſudatorii meritò vocandi, quòd collecti denſiùs vapores & angu-ſtiis laterum repercusſi in ſudorem ibi concreſcant, aliàs lentè & inſenſiliter disſipandi; ex hiſce quidem alibi cor-poris lympham expresſimus fluidam, nullâ tamen nigri tincturâ imbutam, quò ne ex hiſce aliquid in ſubjectum reticulare corpus confluere credas. Al-teræ quidem viæ minùs conſpicuæ, ſed ad cutis presſionem cuticulæque redu-vias lympham copiosè ſtillantes, quæ ipſa etiam ſunt oſcula ſive arteriolarum ſeu nervorum capillarium, unde ad aë-ris medicamenti ſive eroſionem ſeu la-xationem humor in rivum aut veſicu-lam colligi ſolet; ex hiſce etiam, etſi plurimum elicere humoris potuimus, nihil manavit tincturæ. Tertiæ viæ ſunt minima & indiviſibilia corporis perſpirabilis & rareſcentis puncta, per quæ ut ſuccus adigi nequit quantum-

vis ſubtilis, ita minùs pingui huic ſituræ crediderim relictum eſſe locum; effluvia tantùm ſunt, quæ hàc prorepunt, minutim diviſa, nec ſolido coërcenda. Quæ ergo, inquis, ſunt viæ, Vir Excell. per quas pigmentum illud nigrum emanet? ab ultimis quidem nihil exſpectari poſſe videtur, in primis autem nec veſtigium obſervatur nigredinis, cutis enim Æthiopica in quamcunque partem verſetur, eſt tota candida: & tamen emergere ſeu exæſtuare materiam ex interioribus manifeſtum eſt. Prodiit aliquando, non diffiteor, ex tubulis iſtis & cuticularibus oſculis ſuccus niger & melancholicus, ſed qui præter naturam ex acidi fortè Vitriolati miſtione in atramentoſam nigredinem jam antè in glandulis cutaneis præcipitatus ſit, ut ſolent corporis noſtri ſucci pro fermenti præcipitantis ingenio aliter aliterque modificari, & graduali mutatione in varias abire colorum ſpecies. Ut acido hoc tribuam, perſuadent atramenti confectura,

ctura, & ipſa bilis cum ſpiritu Vitrioli digeſtio, tum etiam ſudor acidus, quem ſummo excubiarum Præfecto eveniſſe Excell. Langelottus, ut eſt in amicitiis fovendis planè ſingularis, Clariſſimo Actorum Germanicorũ procuratori Volgnadio ſignificavit. Sed verò in hiſce caſibus & cutis eſt & ſanguinis eadem & morboſa affectio, ibi nulla planè, nam & rubore ſuo ſanguis & albedine cutis perfunditur. Ut adeò res ſit perplexa, candidam eſſe cutim, & tamen fundere eam nigredinẽ, cujus nusquam appareant ſemina. Itaq;, ſi in ſanguine aut ſucco cuticulari latet nigredo, non actualiter, ſed potentialiter, ſed diſpoſitivè, ut pace tuâ his terminis utar, ibi lateat neceſſe eſt: nempè nihil poſt varios conatus ex tubulis ſudatoriis, nihil ex tranſpirationis cribris, neque ex medio pororum genere excerni potuit: quare non antè nigredo conſtare videtur, quàm in ſuperficiem cutis effuſa eſt, in cute, ſanguine & tandem quoque ſemine occulta & potentialiter latens. U-

trum ergo textura ſola cutis mutationem inferat,& nigrum hoc pigmentum è potentiâ materiæ educat; an verò aliud & Vitriolatum fermentum clariorem lympham obtenebret inque atramentum figat & denſet, judicio tuo Vir Excell. committi malim quàm meo. Equidem humores pingues & aliter coloratos in ſanguinis illâ purpurâ occultari poſſe, ſolidi tamen contextu aut ſucci fermento educendos, Bilis argumento eſt, quippe quæ ad glanduloſam hepatis texturam aut fermentum, è potentiâ materiæ, ſanguine ſc. emergit, peculiari qualitate & ſanguini antè negatâ inſignis. In tantùm autem ſucci noſtri fuliginoſi alia eſt ratio, quòd non proximè è ſanguine, uti Bilis, ſed medio liquore, qui irrigare cutim ſolet, pronaſci videatur, ſive organicus reticuli ſubcuticularis contextus, ſeu peculiare fermentum intercedat: num verò illa ſit conditio effluviorum corporis, ut, dum poris emanant, mox reticulo membraneo affigantur, & affixa in fuligi-

liginoſam tranſeant nigredinem, incertus ſum; non negaverim tamen halituoſum quid & αἰθαλῶδες corpore noſtro exſpirare, cùm, qui in pædore conſeneſcunt ſui negligentes, fuſci evadant & in nonnullis partibus ſordes concipiant planè nigras, denſas & nonniſi ſtrigilibus cedentes: poſſit ergo ejusmodi materia magis agglomerari in reticulari illo Nigritarum plexu, & quemadmodum ex fuligine vulgò oleum concreſcit, ita hæc quoque ſuccedentibus atomis in pingue linimentum denſari. Quidquid demum ſit, in plurimis herbarum notavi, eas ex diverſiſſimis ſuccis, quibus aluntur, in unum virorem conſpirare; nam ſive albus ſit ſeu luteus, ſive ruber, ſeu deniq;, ut plerunque eſt, pellucidus ſucci color, tamen veſiculari, aut, ſi mavis, glanduloſo foliorum florumque contextu in alium atque alium mutatur. Tulipa, cui rara & fuliginoſa obſcuritas nomen Caminiverri apud Batavos impoſuit, ſuccum habet & ipſa limpidum, qui in

ſtoris texturâ nigredinem ſubeat. Chimicorum trivio non ignotum eſt, quomodo pellucidi humores in atramentum côeant, & ſtriatæ denſæq; Vitrioli particulæ, ad fermenti acceſſionem poris ſuis exturbatæ, ſolutionem aliàs cryſtallinam opacent: ſed abſtruſius paulò & minùs cognitum arcanum, quomodo liquor ſulfureus & ipſe limpidus, per magnam ſtratorum chartaceorum molem penetrans, ſigna literarum candida atramentosâ & conſpicuâ imbuat nigredine, id quod in atramenti ſympathetici ſpecie Lutetiæ Pariſiorum à me viſum. Itaque cenſeo ſub cuticulâ ad occurſum certi ſive liquoris aut fermenti nigredinem tandem emergere antè occultam, planè uti limpidus lixivii color objectu ſulfureæ aciditatis in nigrum faceſſit; nam, ſi ſuccus ille aut effluvia actu nigra eſſent in ſanguine, alibi fortè veſtigium coloris iſtius reperias; de Æthiopum autem ſanguine quod nonnulli jactarunt, nigriorem illum eſſe noſtro, non potui

potui deprehendere. Sed quantum objecti natura ad coloris mutationem conducat, docent Lunæ calces, Vitriolati herbarum ſucci, in quibus licèt nihil coloris oculus advertat, nigredinem tamen manibus liberaliter adfricant. De chartâ Hiſpanienſi, fuco mulierum rariſſimo, notum eſt, ipſam viridem læto rubore genas inficere, nitroſo & volatili ſale, qui legere ſuperficiem corporis ſolet, pigmenti, ut credo, acidioris mutante texturam. Ut jam alienum non ſit credere, cùm corporis noſtri lympha ex variis conſtet particulis, pro quarum diverſâ affectione, fixatione aut volatiliſatione, jacturâ vel unitione, colores facilè mutentur, reſidere in contextu illo reticulari fermentum aliquod gentile atque Æthiopum proprium, limpidiorem ſive laticem ſeu habitum in nigredinem jam notam transformans.

Caput

Caput Nonum.

AD remotiores nigredinis cauſas properatur aliorumque exemplo de diris & voto Noächi decernitur; nullâ ratione potuiſſe ad Judæos, ne dicam, ad colorem eorum, referri indictam ſervitutem; nigredinem non magis eſſe ſervitutis indicium, quàm alium quemq; colorem; deformitatem in figurâ potius corporum, quàm colore conſiſtere.

Quam ſibi alii ſumſerunt libertatem de cauſis coloris antecedentibus & remotis diſceptandi, eam mihi quoque à te conceſſam eſſe, Vir Excell. omninò perſuadeor, ut tandem ſeveriores ingenii luſus per promiſcuas lætioresq; quæſtiones temperentur. Poſſe alia etiam adduci, quàm quæ acutiſſimo Anglorum Th. Brounio, & ab illuſtri immenſæque cognitionis viro, Rob. Boylæo, jam verò antè etiam, ab illo orbis literati

literati ocello Herm. Conringio ſunt prolata, niſi fallor, ex ſequentibus erit manifeſtum. Incipiam autem ὁμηρικῶς, ὕστερον πρώτερον, à primævis remotisque cauſis. Fuerunt ergo, qui colorem hunc indicium eſſe iræ & maledictionis divinæ opinati ſunt, & ab ipſo Noächo, illo omnium poſt diluvium parente, profectas diras in totam Chami recidiſſe poſteritatem, unius ob noxam & furias Canaanis; quod etſi in Hiſtoricis Philoſophisque pro illo ſupercilio tolerari nequaquam poſſit, in Poëtis tamen haud moroſè excutiendum eſſe reor. Viderunt jam alii non potuiſſe tum eſſe Chuſi vel aliorum Fratrum hanc infelicitatem, quippe qui pudendo facinore mores non contaminaverant, neque etiam ultimæ Africæ, quam nunquam ingreſſi ſunt Cananitæ, ſed primis illis & conterminis Aſiæ atque Ægypti finibus aſſerendam fuiſſe piacularem & orcinam devotionem; ibi enim habitabant, qui à Canaane orti ſunt, & in quos redundaſſe hæſurum uſque

convi-

convitium ſacrorum etiam documentis manifeſtè conſtat: nulli autem poſterorum Chami tot cædibus atque ſervitutibus vexati ſunt, quàm Cananitæ, naturâ & in ſupplicium feroces: atque hoc eſt, quod juſtiſſimo Spiritus S. dictato imputari iis jure poſſit, imputantque hodie cordati omnes; quorſum enim frequentata illa ἔμφασις & dirarum in Sacris ingeminatio? *Canaan ſit ſervus ſervorum.* Quod ſanè de Æthiopibus, tanquam longè diverſa progenie, nemo facilè oſtenderit; hæc enim gens in ultimos Africæ receſſus velut ocia relegata, ſacris illis & internecinis Iſraëlitarum bellis, quibus tot tamen nationes & ipſi Cananitæ in ſervitutem ſunt redacti, intacta, cœlo ſuo & ſolo fruens, tranquillè ſemper egit. Cambyſes fortè primus, famâ & commendatione gentis excitus, ſatis habuit ab incepto deſiſtere, oppreſſo per arenarum moles exercitu. Nupero demum ſeculo ſepultæ diu gentes, noſtræ etiam plagæ oſtendi cœperunt, &

ad viliſſimos & penè inhumanos labores Hiſpanorum libidine damnari; non tam ullo Barbarorum quàm victoris truculenti probro; nam & ipſi ſervitutem, quàm facilè modicam admiſerant, tàm ægrè tulerunt hodieque ferunt, ut plurimi tædio rerum violentas ſibi manus inferre non dubitent, multos etiam dolor ipsâ morte ſævior conſumat. Fuerunt olim mercium Alexandrinarum numero Ephebi comprehenſi, ad pocula luxumque Romanorum adſcripti; at hodie Africanarum mercium pars maxima, ſexus utriusque Æthiopes, titulis & venaliciis picti, per Europam, velut oſtenta quædam, in Nobilium Regumque delicias diſpergendi: quam ſi quis pœnam nominare velit Cananitis jam tum Spiritus S. miniſterio indictam, & minimè fallaci experimento poſt indictionem probatam, næ is ineptus ſit atque infice-tus. Ergo, quas Semi & Japheti progenies exigere pœnas debebat, ultimis hiſce temporibus & Celtiberorum vin-
 dictæ

dictæ reſervatæ ſunt? ergo in hoc ſoli Hiſpani, tanquam divinæ Fratrum reliquiæ, à Spiritu S. delecti & velut προωρισμένοι? Sed deinde, ut vitium ſit illa nigredo & maledictionis effectum, atque in Chuſum tranſierit iſta macula, quis tam in migratione gentium, in hiſtoriâ omni & illâ veterum eſt verſatus; ut Æthiopes audeat Chuſi iſtius contendere progeniem? magnum, opinor, facinus, nec temerè probandum! pauca equidem pro illis partibus ſtant, multa in contrarium eunt; nam ipſa quoque Sacra Canaanis imperium Babyloniam verſus extendunt, ubi nec Æthiopum nec tam atri coloris veſtigia. Quod ſi inde tandem in Æthiopiam migrarunt premente viciniam Nepotum numero, ſerò irrepſit color iſte, &, qui æquè debebatur poſteris Nimrodicis, injuriâ quadam in certam & unam partem videtur translatus. Oſtendit autem Bochartus, Vir in talibus conſummatiſſimæ doctrinæ, & ipſis decem argumentis oſtendit, (quem hic, ut Voſſios ta-

ceam

ceam & Merulas, compilare velle ineptum duxerim & intempeſtivum) non tam eſſe Chuſi aut Canäanis ſobolem Æthiopes, quàm Ludi, filii Mizräim, qui & Ægypto & conterminæ Æthiopiæ poſteros ſuos impendit; quamvis nec hoc uſque certum eſſe putem, utrùm illi, qui hodie vocantur Nigritæ, ab iſtâ Ludi antiquiſſimâ progenie ſint enati, quia illæ gentes tam diu à communi ſenſu & annalium memoriâ fuerunt remotæ, ut vix certam iis ſedem aut habitum vultusque characterem, ſaltem qui primitivo ſit ſimilis, adſignare liceat. Noſtrarum hodie gentium in Europâ tam obſcuræ ſunt migrationes, ut pauci per commentarios aut originum indices, plurimi conjecturâ tantùm in earum cauſas ſint adducti: quid ergo mirũ, ſi in Africâ inexplorato terræ tractu, & minùs perſpectis gentium hiſtoriis, magis hallucinemur. Fortè vaſtius fuit olim Nigritarum imperium, aut ſuâ ipſorum abundantiâ vel externorum populorum mutatione ſe-

 des

des mutare coacti in alias & ſecretiores Africæ plagas ſeceſſerunt, ubi ad aëris deinde terræque & alimentorum novas ſpecies habitum corporis priſtinum nonnihil variaverint. Equidem non vana videtur conjectura, quemadmodum omnibus gentibus, ſic iſtis quoque neceſſitatem fuiſſe impoſitam vel migrandi aut aliorum admittendi commercia, quibus deinde in variæ gentis miſturam tranſiverint; nec contagio tantùm, aut aëris alimentorumq; cauſis, etſi his ſæpe, ſed ipſis quoque terrarum tractibus, iisque exiguis, gentium illas mutationes adſcribendas eſſe. In plurimis certè apparet, leviculo terræ intervallo, ſolisque montium jugis aut fluviorum diſcrimine, inſignem conſtare habitus colorisque mutationem, ut in ipſis Africæ, regni Congo, Angolæ & Guineæ indigenis apparet; incredibile enim, quantùm à ſe & vicinis quibusque diſcrepent; nam & Senegæ fluvii illam eſſe proprietatem vulgò aſſerunt, ut, qui ab unâ habitant parte Nigritæ,

ſint

ſint omnibus numeris abſoluti, qui ab alterâ, longè abeant, Maurorum colore infecti. Qui ad mare Æthiopicum degunt Nigritæ, alios eſſe & primævis ſimiliores, quam qui Oceanum accolunt, mihi perſuaſiſſimum eſt: illis enim, quod Iudæis olim imputatum, & *comedere filios hominum*, & debellatorum membris paſci luxurioſèque victitare hodieque ſolenne eſt, etſi ex parte ſævitiam hanc Majorum conſuetudo aliarum gentium mitigaverit; nam illos quidem, qui in Zoffalæ & Melindæ habitant oris, atque peculiari nomine *Caffres* nominantur, cùm Abysſinorum tum Saracenorum Indorumq; commerciis temeratos eſſe, illata negotiorum religionumque vicisſitudo facilè indicaverit. Nimirum fieri aliter non potuit, quin, quòd Arabum Indorumque commerciis viciniâ & oportunitate locorum eſſent objecti, ab illis etiam maculam quandam & vitæ traherent mutationem: qui verò propè Oceanum externum ſiti erant Nigritæ, montium,

quos Lunæ vocant, fluviorumque immenſis ſpatiis ab inſultu & conſortio peregrinarum gentium tutæ, non potuerunt aliunde quàm à ſe ipſis, terræ aquarumque genio, varietatem habere, quam hodieque habent, & Itinerariorum auctores in Senegæ accolis notarunt. Singulis autem iſtis propriam manere & incorruptam vivendi rationem credibile eſt, tum quòd naturale odium miſturam gentis prohibeat, tum quòd ſuam quisque pulcritudinem nimis æſtimet. Non immeritò etiam arbitrari liceat, qui olim in iſtas Oceani oras effuſi ſunt Nigritæ, perpetuam dormiſſe noctem, partim intactos, partim incognitos: in Hammônis certè vetuſtisſimâ periplô, qui erraſſe verſus iſtam plagam videtur, præter monſtra & vanisſimas conjecturas nihil offendas. Si quid tamen de origine Nigritarum hariolari poſſumus, à Noächi filiis uti omne humanum genus, ſic hos quoque deſcendere probabile eſt, neque tam à Canäane vel Chuſo, quippe qui

qui in Arabiâ reſedit, quàm à Milnaïmo, cui Ægyptus in diviſione illâ obtigeret, ejusq; filio Ludo, qui Æthiopum illas terras invaſerat, ut rem optimè deducit Bochartus, numerari Nigritarum progeniem. Hæſerint primùm in mediterraneis & Ægypti viciniâ, at potuerunt deinde ſeculorum lapſu ad maritima ſeſe proripere, tandem etiam multiplicatis gentibus ad promontorium B. ſpei effundi, hinc iterum abrupto per mare objectum impetu ad ſuperiora, ad Congo & Angolæ fines reflecti, mutatis pasſim in illâ aëris terrarumque varietate animi corporisque naturis; nam iſtud quidem jam antè notavimus, non eſſe in illo tractu eandem omnium gentium rationem. At ſint tandem omnia illa ſpecioſè vera; repetant à Canäane genus ſuum Æthiopes, quis tamen ſecuros nos præſtet, eſſe nigredinem maledictionis notam, quod antè attigimus, & ſervitutem, cujus tot ſeculis immunes vixerunt, nuper demum & mercantium avaritiâ protra-

cti, colore ſignificari. Ego quidem ignoſcendum facilè puto Guilhelmo Poſtello, mirifico in cæteris homini, quod rem auſus fuerit aliunde quàm à Noâchi diris immiſſâque ſervitute nigredinem hanc deducere; aliis autem, qui hoc ſeriò agere videntur, haud ita occurrendū exiſtimem. Sit nigredo inauſpicata & minùs læta; habeat candor hanc prærogativam, quod ſenſum ad lætiora animet viresque reficiat; ſed quid aliud inde concludas, quàm habere eos naturam paulò difficiliorem, & hactenus eſſe, quo infeliciores cenſendi ſint nobis ipſis: verùm in maledictionis paternæ & morum trahere argumentum, colorem, qualitatem ſuperficialem & in levi texturâ hærentem, nemini, ut puto, ſine culpâ impune eſt, præterquam Oratori vel Poëtæ, inque his ipſis Emanueli Theſauro, doctiſſimo cæteroquin Viro, qui in elogiis Patriarcharum de Chamo.

Et fœdo eodem ſemine progeniti Æthiopes,
Impuriſſimi ardoris tui adſtricti fumo,
Mores ſuos de colore tuo teſtabuntur.

Fuiſſe in Cananitis animi quandam & morum ſervitutem, fuiſſe σκληροκαρδίαν potius, quàm notam aliquam corporis gentiliciam, quâ captivitatem & corporalem ſervitutem erant merituri, omnino mihi imaginor: quippe ut ipſi ſemper Fratrum obſiſtebant deſtinationibus, ita Prophetico oraculo in ſervitutem, miſeram eam atque inopem, & cum nominis everſione conjunctam erant redigendi, idque per divinas Semi Japhetique reliquias; quod in Nigritarum gentem recidiſſe hodie quoque copioſam & ſuperſtitem, ne quidem ſuſpicari licet. Jam verò nec infelicitatem propter nigredinem imputare æquum eſt, cùm ipſi unum hunc colorem maximè depereant, & damnatiſſima quæque & ipſum Diabolum, ut refert Linſchotanus, albo colore deſignent; imo ipſe ſplendor & habitus

corporis redimere facilè vitium poſſit, ſi quod eſt. Et verò, ſi adeo pulcritudo & analogia partium nigredine fœdatur, cur accuratisſimus aliàs epithetorum repertor Homerus, ubi totam corporis emenſus eſt proportionem, Therſitæ, αἰσχίςυ ἀνδρὸς, cur, quæſo, coloris obliviſcitur, in figuras tantùm diſtorſionesque membrorum intentus? Sed nunc etiam communi Barbarorum ſuffragio in figurarum & ambitus decore præcipua reponitur pulcritudo, ita ut, quem horrore religioſo timeri volunt malum genium, fædisſimâ & malè catenatâ membrorum ſerie deſcribant; quaſi dedeceat hoſtem infenſiſſimum humani generis omnisque ordinis eâdem exprimi formâ, quâ vulgò homines gaudemus.

Caput Decimum.

Cauſæ propiores delibantur. Negatur Solis in formandâ Nigredine Æthiopicâ ullas eſſe vires; infuſcari quidem corpora nimiis

nimiis ſolibus, at longè ab illo coloris gradu abeſſe exuſtionem aëream; Nigritarum clima, etiam in tanto æſtu, humidâ fluviorum, quos ibi habent vaſtiſſimos, & nitroſâ cœli aurâ temperari non vanis argumentis probatur.

QUando ergo tam ſingularis eſt illa nigredo, neq; à maledictione profecta, meritò quæras, Vir Excell. unde originem habuerit habeatq; hodie; nam hic in diverſa abeunt. Frequentiſſima eſt & inveterata opinio, nuper demum refičta, à Solis ardore cùm omnem fuſcitatẽ tum nigredinem hanc procedere; ſed detexit hoc argutè eruditiſſimus Anglus Thomas Brounius & oportunè improbavit; quæ cum in vernaculâ tibi ſint cognitiſſima, non repetam, quæ ibi deducta ſunt plurima eaque invicta argumenta. Sed tamen alia adhuc ſuperſunt, quæ rem declarare ulteriùs poſſint, non ita vulgò conſiderata; nam primò quidem ex ipſâ illâ nigredinis qualitate apparet, non deberi eam æſtui,

neqne

neque enim vel mille ſolibus exuſta cutis talem induat colorem, qui nempe non ſuperficialis ſit, ſed ſub pelliculâ latens, non ſcaber aut ſtrigoſus, ſed in nitido habitu pinguis & lævis; cùm, qui à ſole infuſcantur, præter æruginoſam obſcuritatem etiam ſiccum contrahant & orbitate ſucci nutricii, quippe quem æſtus educit, rugoſiorem habitum, ut hoc ipſum manifeſtum eſt in maris Mediterranei utrinque accolis. Mauri certè & Feſſæ regniq; Maroccani habitatores longè ſunt ſtrigoſiores & ſicciore cute, quàm Nigritæ, etſi à perpendiculo Solis longiùs ſint remoti, quàm vel Angolæ aut Senegæ incolæ. Imo, ne quid ardor aut Solis rectilinea immiſſio obſiſtere alituræ videatur, inſula D. Thomæ directè ſub æquinoctiali ſita & Guineæ plana, pinguiſſima refundunt & ſucculentiſſima animalia, frigido nimirum rore, qui ibi ſingulari Naturæ munificentiâ copioſiſſimus eſt, refecta; hoc enim eſt, quod tolerabilem reddit plagam nimiâ antiquorum
levitate

levitate damnatam. Miretur fortè quiſpiam, nontantùm, quòd habitiores multò ſint homines in iſto climate, verùm etiam numeroſiores & multâ fœcunditate inexhauſti; nam vel unum Angolæ regnum in ſingulos annos ſuprà quindecim millia Nigritarum in piſtrinenſes Hiſpanorum operas dimittere fama eſt, ne quid ad patientiæ laudem genti iſti deeſſe videatur. Si quis autem roget, quænam illa ſint, quæ habitationem reddant ſub perpendiculari ſole tam commodam & fœcunditatem inferant; ſunt, meo judicio, fluviorum latè vagantium nitroſæ, hoc eſt, frigidæ & fœcundæ auræ; eſt ros ille aëreus mirificè excoctus, pinguis & nocturno illapſu gratus. Ros equidem non ſata tantùm ingenti & ſubitâ ubertate perfundit, ſed hominum quoque & animalium fluxam in illo æſtu corporaturam tuetur, denſat & ſpecioſâ pinguedine rotundat. Sunt in vaſtiſſimo illo Æthiopiæ tractu Zanzibar poſt Lunæ, montes fluviorum longè maxi-

mi, *Suama* & *ſpirito ſancto*, unde illi in inſulam S. Laurentii deportati, & hodienùm in Indiam Orientalem & alias regiones mittuntur bene habiti & pingues Nigritæ. In altero Africæ angulo, qui Oceano objicitur, ſunt *Zaire*, *Niger*, & ipſi fluviorum immaniſſimi, perinde inundationibus celebres, ut Nilus, unde in Occidentalem Indiam atque in Europam deducuntur, quos hic habemus, Æthiopes. Illam verò Æthiopiæ humiditatem primus attigiſſe videtur Franciſc. Baco Verulamius inſigni honorum juxtà & ſolidæ eruditionis famâ clariſſimus Philoſophus; qui in Sylvâ Sylvarum, *omnes*, inquit, *Æthiopes carnoſo quidem ſed inconcinno ſunt habitu corporis craſſisque labiis. Naſci quoque eos videmus in regionibus aquæ, propter fluvios aliasque cauſas, abundantibus; Meröe enim metropolis Ægypti amplum lacum accepit; Longo quoque, ubi Æthiopes vivunt, aquis ſcatet, & regio circa Capoverde eſt humida, unde & peſti obnoxia, certè putredini.* Veriſſimè,

nam

nam perpendicularis ſolis injurias corrigunt vapores, terræ horizonti totis noctibus magnamq; diei partẽ incumbentes:ne dicam,quòd magis tolerare ſolem Æquinoctialem poſſint, quàm obliquũ & ad Tropicos deflectentem,quòd hic urat tantùm, minùs extrahat vaporum, ille urat quidem vehementiùs,ſed plùs ſimul evocet humiditatis, quam deinde denſatam copiosè verſus terram reflectat, diurnoque ſqualori opponat; ut adeo indigenæ iſti nebulâ fluviorum nitroſâ circumfuſi mirabilem ſentiant & acceptiſſimam temperiem. Illud ergo παράδοξον, hyemem eſſe, hoc eſt, frigus intenſius, cum Sol eſt perpendicularis, æſtatem, cum obliquior, jam antè aliis viſum & probatum, tam immenſæ doctrinæ Cardano in Ptolomæum, quam illuſtri viro, Iſaaco Voſſio, libro de origine Nili. Quare non ineptè plagæ iſti imputare felicitatem liceat, quam uni tribuum Iſraëliticarum Spiritus S. promiſerat, eſſe nimirum *beatam regionem propter cæli & roris fru-*

ctum

Rum; tantum abeſt, ut in dirarum partem trahere tam inſignem Naturæ beneficentiam poſſimus. Sed non Nigritarum modò, Vir optime, ſed aliarum etiam gentium, quæ difficilem experiuntur Solem, eſſe hoc munus velim tibi perſuadeas. Eſt Nilus, ille fluviorum famoſiſſimus, qui non ſegetes tantùm, ſed animalia quoque maxima, Crocodilos, Hippopotamos, & ipſos homines inſtaurat atque in pinguem aqualiculum extendit. Quis crederet Alkairi tam ventrioſos & curatâ bene cute pingues in illo ſolis æſtu reperiri, niſi ariditatem corporis aura fluvialis, &, quam in potum deligunt, Nili aqua oportuno frigore temperaret, fluentesque aliàs olei particulas in blandam denſaret pinguedinem. Sanè hinc eſt illa diligentiſſimi Ægyptiarum rerum contemplatoris, Proſperi Alpini, obſervatio, libro de Medicinâ Ægyptiorum, Cap. IX. *Nuſquam gentium*, ait, *memini me vidiſſe in tanto numero tam præpingues homines, quales Cairi obſervantur*

vantur ex Viris, plurimos uſque adeò pingues inſpexi, ut mammas haberent longè mulierum mammis maximis majores, craſſiores & pinguiores. Hoc etſi non commodè attigit unde proficiſceretur, tamen nitroſis Nili rorisque aërei particulis deberi, etiam atque etiam adducor ut credam; quòd verò Feminæ ibi proportione non æquent virorum craſſitudinem, naturâ aliàs obeſulæ, id certo vitæ generi, id moleſtiis partuum & operis clitellariis manuariisque, quas hic feminis reliquit virorum mollicies, tum etiam parciori diætæ, adadſcribendum eſſe reor. Fuere tamen olim nutricum Meröiticarum ubera valde celebrata, ut ex illo Juvenalis apparet;

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus, & quis
In Meröe craſſo majorem infante papillam?

Eſtque hodie Æthiopiſſarum in Moſambicâ eadem mammarum vaſtitas, ut alibi ex Linſchotano adnotavimus, haud

 dubiè

dubiè à nitroſâ auræ fluviorumque fœcunditate producta; Meröe enim, etſi ſub Æquinoctiali poſita immaniſſimos videatur æſtus pati, oportunè tamen à lacu Zaire vaporibusque ejus reficitur, & nitroſitate Athmoſphæræ impendentis ſolis vincit ſiccitatem. Et ne aliunde hoc repetam, quàm à nitroſo, aëreo & fluviali ſale, popularis tui, præcipuæ dignationis Viri, Domini de la Chambre auctoritate permoveor; ille in libro, cui titulus, *Cauſes du debordement du Nil*, Nitri immenſam vim, cùm aëri tum aquis Ægyptis conjungi, ſolidis experimentis oſtendit: eſtque hòc probabilior ratio, quòd in omni rerum naturâ nihil æquè deprehendatur & refrigerare & fœcundare, quam Nitrum. Habet nimirum in ſe Nitri ſal ſpiritum acidum volatilem, aëris rorulenti ſine dubio fœtum, quo ſanguinem facilè penetret, & à Solium nimio æſtu liquatum molliter côagulet; habet deinde in illâ acidi præſentiâ ſulfur quoddam & ipſum volatile

ſubtilis.

ſubtiliſque elementi miſturâ refertiſſimum, quo ſe principiis activis promtisſimè aſſociet, eorum vires in immenſum adaugeat, vi, qua pollet, elaſticâ. Iſto ergo modo credibile eſt rareſcere animalium & vegetabilium texturam, & ad commodam adipoſamque nutritionem diſponi, præparatis ante blando acidi côagulo olei pinguedinisque particulis. Sed quid multa? oſtendit nuper ingenioſisſimus Anglus, Joannes Mayovv, regnare pasſim in aêre noſtro ſpiritum, ut ipſe vocat, nitro-aêreum, ceu fermentum quoddam catholicum & vegetativi motus primarium auctorem; qui etſi in hoc noſtro aëre rarior ſit atque obſcurior, in Ægyptio tamen & Nilotico tractu longè eſt manifeſtior & efficacior. Unde cauſam apparere arbitror, cur ſub perpendiculari Sole plurima non vivant tantum, ſed lautè etiam & delicatè nutriantur; contrà ſub obliquiore, ut in ipsâ Guineæ viciniâ, Lybiæ & Mauritaniæ mediterraneis, propter aquarum roriſque

nitroſi defectum, & validam arenarum reflexionem, inacceſſa ſint pleraquè, inhoſpita, omnisque culturæ expertia. Nec tamen, qui ibi aut in vicinis degunt rari habitatores, ad nigredinem Æthiopum accedunt, quod vel maximè fieri debebat, ſi unius Solis iſta vis eſſet, & non alio quàm ardore conſtaret ille habitus. Nigri ergo ſunt Æthiopes, non quòd exuſti, ſed certo & gentilicio præditi temperamento, pingues, obeſuli, æſtu illo athmosphæræ, quâ vitalem trahunt auram, per rorem nocturnum frigidumque infracto, accedente ſulfuris nitroſi & blandi impresſione, quod non habitum modò, ſed & numerum augeat gentis, ſuprà quàm credi poteſt, populoſæ.

Caput Undecimum.

Colorem, qui à Sole videtur proficiſci, non ſimpliciter eſſe nigrum, ſed pro ſuperficiei & objecti naturâ multiplicem,

ſæpe

ſæpe etiam album, & quæ nonnullorum ſumma tingit nigredo, eam ex ipſo potiùs corporum centro emergere, quàm in ſuperficiem poſitivè à Sole inferri plurimis obſervatis innoteſcit.

VIdendum nunc porrò eſt, utrùm continuò Sol, poſtquam corporum exſiccavit ſuperficies, nigredinem trahat comitem, non etiam alium quemque colorem. Experimentis docemur, adæquatum eſſe Solis effectum, humidas corporum particulas, quippe quæ fluori maximæ ſunt obnoxiæ, inteſtino motu dividere, &, quantum licet, extra corporum ſphæram propellere, exſiccare adeoque & defectu humoris, ſi illa eſt ſuperficiei conditio, indurare, colore è potentiâ magis materiæ, quàm ullo Solis poſitivo influxu emergente. Equidem, ut Solis calor modò colliquat, modò indurat, ſic idem ille non unum ſemper colorem adfricat objectis, ſed pro eorum naturâ nunc nigredinem, eamque vel aridam aut ſucculentam &

pinguem, modò albedinem, eamque fuſcam aut niveam. Ex antecedentibus quidem videtur manifeſtum, non eſſe Æthiopum illam nigredinem ab exſiccatione; conſtant enim habitu corporis glabro & ſucci ſanguiniſque pleno: illam verò ſive Maurorum ſeu Hiſpanorũ,&,quæ illis ἐκ παραλλήλου reſpondent, gentium ſqualidam & rugoſam ſuperficiẽ, eâ imprimis parte, quâ nudi ambulant, Solis exſiccationi deberi, inde etiam patet, quòd qui in Septentrione frequentiori utuntur Sole, eandem conſequantur fuſcitatem, ſucco ſubcuticulari, cujus antè blandâ expanſione ſuperficiei mollicula & candida rotunditas conſtabat, evocato: atque hinc eſt, quod quæ veſtibus teguntur partes, & directum illum radiorum impetum non ſentiunt, tamdiu intemeratum ſervent candorem, donec fuſcitas ſæpe continuata in gentilem corporis habibitum, ut in Mauris Hiſpanisque factum eſſe puto, tranſeat, non amplius ſub involucro tuta. Unde non tantùm

eſt

eſt à fuſcitate periculum, ubi aqueæ & nitroſæ auræ ariditatem corriguntcœli, quâm ubi nulla earum eſt copia, Sole infeſto. Ægyptii, ſi cum vicinis & ejusdem paralleli incolis conferantur, nitidiore multò ſunt cute, quàm iſti, ut qui ex rore Nilotico miram accipiant temperiem. Hiſpani rurſum vicinis ſuis aut qui in eâdem ſunt latitudine, magis obſcurantur, aquarum infrequentiâ Solis injurias augente. In totis deinde terrarum tractibus miram reperias colorum varietatem, modò remiſſiorem nunc intenſiorem, prout perpendicularis aut obliquior Sol imminet, & imminentis ardorem humida nitroſaque effluvia temperant. Animadvertere viſus ſum, qui ad oras Padi rejecti ſunt Galliæ Ciſalpinæ incolæ, minùs eſſe fuſcos, quàm qui in ſicciori-bus habitant planis, etſi hic quoque inimicum ſolem ſparſa artificio fluenta commodè mitigent. Mævania, Catulli patria, non habitiores modò homines ſed Boves quoque producit pinguiſſi-

 mos,

mos, &, quod mirum, in illo æſtu candidisſimos; quod equidem non fieret, niſi repercusſi à collibus undique coëuntibus Soles â Clitumni, nitroſisſimi fluvii, aurâ corrigerentur. Sed plurima quoque Sol, obſcura aliàs & fuſca, in albedinem excoquit, dum rorulentis nitroſisque particulis per poros ſqualoris tenaces diſtributis obſcuritatem purgat, moxque continuato inſultu unà extrahit. Saxa in terræ penetralibus tenebris & fuſcitate coöperta, tunc, cum in moles aſſurgunt & luci exponuntur, nitorem albedinemque mirificam conſequuntur non aliam ob cauſam, quàm quod humiditas deſuper incumbens, quæ æquare corporum ſuperficiem ſolet, radiorum ſolarium impulſibus extracta, particulas relinquat ſphæricas, è quarum deinde mutuâ reflexione candor proficiſcatur. Atque hinc eſt illa urbium ex ſaxo quadrato aut marmore aſſurgentium nivea pulcritudo: hinc Genuæ longè latèque ſuperbientis, Neapolis &

Terra-

Terracinæ tanta commendatio, ut & Poëtæ in itinere Brunduſino exciderit,

Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Quantum ad ceram dealbandam conferant ſoles, artifices jam ſatis edocti ſunt; de lineis telis, fuſcis & obſcuris, nemini non domeſticâ obſervatione notum, eas alternatis dierum noctiumque vicibus in albisſimum exſplendeſcere colorem, etiam nivibus certantem. Flores, qui infiniti ſunt albi, inter quos facilè primus Liliorum candor, Soli ſeſe debent æſtivo multùm validèque ſuperficiem expolienti. Putem autem, ut hoc addam, non aliunde naſci hunc candorem, quàm ab humoris bullati & intra rotundas lævesque pelliculas adacti mutuâ refractione; ſolam enim partium texturam in colorandis corporibus plurimum poſſe, & in albedine quidem ad convexitatem quandam ſuperficiei diſponi, evidentibus experimentis notari poteſt. In dealbandis autem lineis telis ſine

Sole fruſtra laboratur; is enim eſt, qui rorem nitroſum, noctù intra poros receptum, per omnes angulos particulasque adigit, lixiviique aut glutini, quod à texturâ imbiberunt, ſaporis ſeu fimi equini (nam hunc quoque utpote nitroſum ad eluendas telarum ſordes, & in odoris veluti moſchati compendium adhiberi compertum eſt) aut ſi quæ ſunt aliæ ſordium fuſcarumque partium reliquiæ, attenuat, dividit, multòque rariorem reddit & quaſi cryſtallinam pororum texturam, quæ deinde mutuâ repercusſione, ut in ſpumâ evenire ſolet, albedinem repræſentet. Certum adeoque eſt nullam ſine roris humorisque diluvio conciliari telæ albedinem poſſe, hic enim propriè eſt, qui nitroſitate penetrabili pingued nem amylatam ſolvit, & ſic ſatis attritam radiis ſolaribus lineum illud planum ultrò citròque perambulantibus extrahendam committit. Pendet itaque totum hoc negotium ab objecti naturâ radios ipſos modificantis, pendet ab aliis circumſtan-

cumſtantiis; namque, ut alia à colore ſuo facilè deſeruntur, ſic alia eum fortius intendunt, vel cum illuſtriore permutant. Video autem plura eſſe, quæ nitorem aut albedinem à Solibus contrahunt, quàm quæ nigredinem, nec dubito, quin, ſi curam admitterent viva & inteſtinis humorum influxibus obnoxia hominum corpora, etiam hæc ad candorem diſponi poſſent; verum texturæ illa conditio & fluidorum mobilitas cutim diverſimodè afficientium non ſinunt, ut Solis imperium in hoc purum ſit atque inviolatum. Quare animalium oſſa non antè albeſcunt, quàm ille ſuccorum exæſtuantium motus defecerit; in terræ autem cryptis, ubi à Sole remota humiditatem imbibunt, magis etiam nigreſcunt, potius quàm ut albedinem induant. Nempe utrumque neceſſe eſt concurrat ad ſuperficierum candorem, modò humida & velut per deliquium ſolutio, modò lenta & digeſtiva per Soles extractio. Vapores noctù decidui, rore nitroſo admo-

admodum pleni, cùm omnia dealbanda, tum maximè oſſium per agros ſparſorum ſulfuream gravem & fædam medullam ſalino acumine ſolvunt, ſecumque unà ſolaribus radiis inferunt, donec ſuperficie poſt ſuccorum corruptibilium exitum particularumque attritionem æquatâ vel rariore redditâ albedinis paſſim color reſpondeat. Certè non crediderim alio quam vivo & obvio oſſium in campis candicantium experimento admonitum Medicum clariſſimum, in novam ſceleti humani effingendi & dealbandi rationem incidiſſe; quamvis eſſe etiam extemporales quoſdam & faſtidium hoc levantes modos obſervatione edoctus ſim. Unde conſtare puto, non niſi ſubjecti vitio oriri nigredinem, nullamque in Sole eſſe cauſam poſitivè aut abſolutè denigrandi. In igne, fateor, culinario, craſſo & fuliginoſo alia res eſt, in illo enim omnium colorum reſidere ſpecies liquidò apparet: quippe illo conficiente, non ex albis tantum, ſed quibusvis coloribus,

loribus, modò flammam admittant, evadunt nigra, mox etiam dealbanda. Nigredinis autem corporum uſtulatorum non aliam eſſe cauſam exiſtimo, quàm quòd duplici conſtent ſulfure; quorum unum volatile, ſuperficiarium & flammæ rutilantis materia, alterum craſſius, viſcoſius, denique αἰθαλῶδες, procurrente longiùs igne depaſcendum, ſed maturè exſtinctum, poſt flammarum aliquot impetus, ſuperficiem lentâ nigredine obducens. Enimverò nunquam fixam illam & ultimam nigredinem corpora dimittunt; niſi aperto igne vaſtata; nam Chemicorum obſervatis jam ſatis notum, carbonem in cinerem, hoc eſt, nigrum in album non mutari, niſi liberior aër fuliginoſi ſulfuris expanſionem admittat. Vocatur autem nigrum iſtud, quod ignis nondum penitus pervaſit, *aduſtum* aut carbo, qui nihil aliud, quam cinerum ſuperficies craſſis mollibusque & ſtriatis ſulfuris particulis colligatæ & obductæ; quas ubi ignis diuturnior & ſeverior

rior exhauſit, in diſcretum minutiſſimumque corpus, *peruſtum*, cinerem aut calcem nominatum, concedunt, modo ne fuſio aut vitrificatio, ut vulgò loquimur, continuitatem reducat. Mira profectò res, albiſſima quæque, ſed oleoſa, per tot rutilantium flammarum colores, cœrulum, flavum, viride, rubrum, fumoſum, tranſire in carbonem, ex carbone denique in cineres. Eſt tamen etiam alia ſpecies nigredinis emanativè, ſi licet dicere, producta, & ex mediis flammis in objectum uſtulandum perrumpens, uti imminens lucernæ conus & caminorum cava ſatis oſtendunt; ſed verò talia, quæ craſſi & miſcellanei ignis ſunt effecta, Soli, puriſſimo fluoris fonti, adſcribere velle haud eſt conſultum, cùm ne quidem ignis culinaris aut ſublunaris omnem carbonariam nigredinem inducat; cùm carbones foſſiles, nigri & flammarum commoda incentiva, ceſpites, *Turfas* Belgæ vocamus, ſub ipſis aquis nati, ne quid apricisſimis Ericetorum campis

tribuere

ribuere videamur, ſine ullo igne, niſi
ortè olim ſubterraneus fuit, promtam
ırdendi facultatem conceperint. Qua-
e tum demum à Sole nigredinem Æ-
hiopibus noſtris inuſtam eſſe cenſebo,
ıuando halitus illos ſuperficiales, pin-
ıues & viſcoſas, nobis oſtendent argu-
uli. At verò non eſt, ut jam antè vidi-
nus, Æthiopum illa nigredo ſuperfi-
ialis, non liturâ inducta, qualis eſt foſ-
òrum in carbonariis, ſed interna, ſub-
uticularis, nec ullo ſaponatorum lixi-
rorum acrimoniâ eluenda. Ergo, quod
ridem attigi, lineamentorum iſta
roprietas, pilorum nigerrimorum cri-
pa & ſetoſa aſperitas, alibi etiam ab-
entia, naris retuſæ & labrorum repan-
lorum peculiaris forma, illa oculorum
nicantium mobilis petulantia, & denti-
ım in medio noctis hiatu incredibilis
andor, & alia bene multa hiſce genti-
us propria, perſuadere haud dubiè vi-
entur, quod omnia uni eidemque
rincipio ſeſe debeant, &, quemadmo-
um nec lineamentorum tractus à So-
le

le dependent, ſic neque colorem de
pendere. Accedit, quod in vultu, qu
tamen præ cæteris partibus, hìc ſaltem
terrarum, Soli eſt expoſitus, pellucen
tem quendam ruborem notaverim; it
ut color, prout radii lucis incidunt
non tam niger videatur, quam *brunus*,
ut vulgò vocant, aut talis, qualem fu-
liginoſa nigredo Minio leviter imbuta
exprimere apud Pictores ſolet; quòd u-
trùm eveniat tenuitate cuticulæ, quæ
rubicundum cutis colorem transmit-
tat, an verò fuliginoſi reticuli rariore
texturâ, non facilè liquet. Non autem
eſt abſurdum, mollem cœli noſtri hu-
miditatem partem illam magis diſſol-
vere, & ad transmittendum cutis rubo-
rem diſponere, cùm manifeſtum ſit Ni-
gritas, quando in hunc orbem emittun-
tur, palleſcere cum tempore, & nigre-
dinis profundioris partem amittere. I-
mo, niſi in cæterâ corporis mole perti-
naciùs hæſiſſet nigredo, credideram
gentis ipſius peculiarem quandam no-
tam eſſe, quoniam ipſi quoque inter ſe

Æthio-

Æthiopes pro plagæ diverſitate in colore & ſtaturâ mirificè varient: ita ut exercitatiſſimus Piſo in Braſiliæ deſcriptione affirmet ſe Nigritam vidiſſe rubris planè capillis & vultu rubro, hoc eſt, ut ego interpretor, cutis ſubjectæ rubedine per cuticulam mediamque fuliginem ſeſe luculentiùs oſtendente. Denique, ſi illa quoque argumenta delibare licet, quibus Brounius Boylæusque toti incumbunt, nihil magis evicerit colorem illum non eſſe à Sole, quàm quòd in aliàs deducti peregrini orbis colonias, etiam in illâ vitæ & aëris mutatione, eundem colorem non tantùm ſervent, verùm etiam in ſobolem propagent, non antè lineamentis aut colore mutatis, quàm miſturam gentis fecerint, & ne tum quidem facilè obliteratis notis, quando hactenus ſimæ nares & deturpata labra Hiſpanienſium Indorum characterem & vultum jam inde à centum annis vitient; Luſitani contrà, notante Edoardo Lopeſio, in illis Nigritarum Provinciis integrum &

quod excurrit ſeculum viventes, necdum tamen formam iſtam nigredinemque Æthiopum imbiberint;ut adeo nihil Sol ad colorem iſtum tam peculiarem conferre videatur. Sed, cùm totæ quoque gentes, iisdem expoſitæ caloribus & Sole vexatæ magis perpendiculari, & illo vultus charactere & nigredine careant, quid aliud judicare æquum eſt, quam aliam eſſe eorum originem. Percurre Vir Excell. vaſtos Americæ tractus & Æthiopiæ parallelos, Indiæ utriusque ſpatia, omnes ibi fuſcos aut candidos reperias, neminem nigrum, niſi origine Afrum aut vernam.

Caput Duodecimum.

FRigori perinde ut Soli denigrandi relictam eſſe facultatem, & in ultimo Septentrione etiam obſcurum & fuſcum haberi corporum colorem ex Hippocratis notabili loco variisque exemplis conſtare videtur; aliam tamen eſſe Septentrionalium, aliam

eorum,

eorum, qui in Meridie degunt, fuſcitatem; illam lividam & à cöägulo oriundam ſanguinis, hanc rubicundulam, & nimiæ cùm ſiccitati tum raritati & effervescentiæ tincturæque Bilis deberi.

VErùm ut paulò altiùs rem arceſſam, & nihil adeo Soli imputandum eſſe conſtet, eadem fuſcitas, cujus aliàs nutriculam eſſe Solem exiſtimant, in ultimo quoque ſeptentrione major & propemodum tenebroſa, ubi omnia tamen albisſimis nivibus perfuſa externo frigore horreſcunt. Sed quis candorem ibi exſpectet, ubi noctium frequentisſimæ vices, dierum rarisſimæ, ubi aër, & ipſe craſſus, corporum texturam ſuperficialem non tam fundit aut laxat, quàm in obſcuram, fuſcam obſcuramque nigredinem contrahit, ubi tandem maximam anni partem damnata omnia & *in nubem ſpiſſæ caliginis verſa*, ut Solini iſtis utar. Eſt tamen in his locis Solis indigentia, frigoris vis immenſa, cujus ſi in contrarium tanta vis eſt, cur

liveſcunt ibi corpora inter medias candidasque nives? ſcilicet, qui à ſanguinis ſpirituumque raritate oritur nitor candidus, facilè in iſto frigore comprimitur. Hinc illæ Norvagorum, Lapponum & Samogitharum obſcuræ facies, ut quæ Solis alibi eſt facultas, eam hic frigoris eſſe intelligamus. De Lapponibus P. Jovius, *Exigua illis corporis ſtatura, luridi contuſique vultus.* Ita verò, citante eruditisſimo Scheffero in Lapponiâ ſuâ Petrus Claudi, illarum aliquando gentium vivus hoſpes, de Norvagis, *Nigri admodùm ſunt ac fuſci coloris in corporibus ſuis.* De Samogithis ad unum omnes, qui vel Ruſſorum viderunt provincias, aut ad fretum N. Zemblæ navigarunt, fuſco eſſe colore & olivam referente; ne quid dicam de Americæ ſeptentrionalis incolis paulò etiam obſcurioribus, ut Forbiſſerus notavit, aut quod de Gronlandorum colore aliis jam compertum. Licet autem hoc à vivendi genere deduci poſſe videatur deduxeritque olim Schefferus ab

ab ignium illis fumis piceis ſubterraneisque, quibuscum inde à primâ nativitate colluctantur, à ſqualore illo perpetuò & rarisſimo Solis uſu, tamen nihil prohibet, quò minùs ab ipſo etiam frigore, ab aëre cum nebuloſo tum craſſo rugoſam illam & nigram cutis ſuperficiem deducamus, quæ deinde ex ingenio loci nata obcuritas in poſteros tranſeat eodem usque aëre fovenda. Sanè eam ferè fuiſſe Hippocratis ſententiam ex illis, quæ libro de aëre locis & aquis habet, manifeſtum eſt; *πυῤῥὸν δὲ τὸ γένος ἐστὶ*, inquit, *τὸ σκυθικὸν διὰ τὸ ψύχος, οὐκ ἐπιγινομένου ὀξέος τοῦ ἡλίου, ὑπὸ δέ τοῦ ψύχεος ἡ λευκότης ἐπικαίεται καὶ γίνεται πυῤῥή.* Sed Cornarii hic verſionem, cùm quòd memorabilis eſt locus; tùm quòd à nemine antè in eam rem adductus, pace tuâ, adferre liceat; *Schytharum gens fulvi valde coloris exiſtit propter frigus ingens, non enim vehemens ad illos accedit Sol, à frigore verò exuritur albedo & fit fulva.* Ne jam Solibus amplius ſuis Afri denigrandi

tribuant vires, ſuppeditante etiam hanc facultatem frigore. Egregium hic eſſe ſignificatum τοῦ ἐπικαίεσθαι & ipſe mecum agnoſcis Virorum optime, planè in Virgilii illo expreſſum,

penetrabile frigus adurit.

Sed quæ illa frigoris aduſtio, quam adeo ignibus tantum ſuis reſervaſſe vulgus videtur? Si Chemicorum inſiſtere veſtigiis licet, utrique, cum calori igneo tum frigoris acrimoniæ, urendi eſſe potentiam deprehendimus. Cauteria ſane, quæ ſunt ignes Chirurgorum potentiales, modo lixivis, i. e. calidis; modò acidis, hoc eſt, frigidis ſalibus animantur. In igne quidem mobiles ſunt & miſcellaneæ urendi vires, in cauteriis lentæ & non niſi morâ penetrabiles, ſed tamen in his ipſis diſtinctæ & multùm à ſe diverſæ. Plerunque, quæ acida exedit acrimonia, flavam conſequuntur ſuperficiem, quæ ſalſa, rubram, obſcuram & tandem nigram. Mercurius indomitus aliàs igne aperto & mobili, igne potentiali frigido ſeu acido in flavum

vum aut rubicundum pulverem exuritur. Supponamus ergo Borealem athmoſphæram acrimoniâ ſalinâ & acidâ ſeu aluminoſis & adſtringentibus particulis perfundi, ut ſic ipſa cutis textique reticularis ſuperficies leviter vel arrodatur aut ſtringatur, ſanguis deinde ipſe, cujus raritas plurimum tribuit colori, in coagulum abeat, & hactenus lividam potius tincturam, quàm floridam roſeamque per habitum reflectat. Nam, ſi interponere judicium meum poſſum, putem longè aliter ſeptentrionalium fuſcitatem temperari, quam Maurorum iſtam, ipſo etiam ſenſuum teſtimonio rem evincente. Scriptores, fateor, parum in hoc ſunt ſolliciti, & ipſe Hippocrates *πυῤῥὸν* auſus eſt vocare ſatis licenter, quem P. Jovii & aliorum fide accepimus eſſe lividum. Sed humorum exigenti naturam facilè apparet, etſi in obſcuram fuſcitatem uterque deſinat color, tamen aliam eſſe ubique rationem; in Meridie enim à ſanguinis raritate & tincturâ biliosâ in rubicun-

dulam fuſcitatem, in Septentrione, à coägulo ejus & frigore pituitoſo in livorem cogitur; ut vel febrium documento conſtat, quarum frigus, cum à coägulo procedat ſanguinis, lividum cuti pallorem; calor, qui à bilis tincturâ nimiùm quantùm exaltatâ oritur, impenſum & igneum tribuit ruborem. Crediderim tamen etiam in Septentrionalibus, propter effluviorum à calidis pellium villis repercuſſorum copiam, in illo corporis malè curati pædore, agglutinari cuticulæ particulas, quæ habitum obſcurent fuſcitatemque augeant.

Caput Tertiumdecimum.

Laborioſiùs inquiritur, an frigus ſimpliciter albedinem in Septentrione pariat. Dubia & obſervata de anniverſario piloſorum animalium candore; aërem aliquid, plurimum tamen alimenta, potum & vitæ genus conferre conjecturâ & exemplis deducitur.

Veteres

VEteres, cum mediæ & torridæ Zonæ vim attribuiſſent denigrandi & uſtulandi corpora, ex contrariorum naturâ Septentrioni alba imputaverunt, dubio hoc experimento perſuaſi, quòd quæ remiſſior ibi tempeſtas proprio aut obſcuro colore adflaret, ea ad hyemem, nivium & glaciei certamina, niveam recuperent albedinem. Sed non erat, cur tantum ſibi ſumerent animorum, qui non aliud habent argumenti ſui pondus; nam in ultimo Septentrionis angulo non volucres tantùm ſed & belluas reperias meram noctem nigredine oſtentantes. Quid? annon Cete, quæ ſeſe inter glaciales moles velut in palæſtrâ exercent, nigerrima ſunt & Æthiopum illum colorem provocant; & eſt eorum ibi innumerabilis copia & immenſa vaſtitas, &, quod mireris, in horrido illo damnatoque frigore pinguedinis tantùm, quantum Europæ ſufficit ad Lychnos; neque illa fixa eſt aut terrea, ſed tam volatilis & ſpirituoſa, ut non ſecus ac vinum ebulliat, deſpu-

met, vaſculorumque nimium rigorem rupturâ mulctet: Vacca deinde illa, etſi nigra non eſt, tamen nec alba, & ipſa mole pinguedineque gravis: ut quemadmodum torridam zonam pinguia alere fœcundaque animalia jam antè notavimus, ſic etiam ultimo Septentrioni eadem conſtet felicitas, & Nitrum, fœcundandi illud principium, calori perinde atque frigori aſſociare ſe videatur promiſcuus pasſim hoſpes. Vituli marini aut Phocæ non planè albent, ſed ſuo & certo gaudent calore, &, ne quid frigoris injurias obſiſtere credas, copioſisſimo perfunduntur ſanguine obſtinatisſimæ vitæ. Jam verò Urſi & Vulpeculæ non albæ tantùm ſed & nigræ; avium autem plurimæ, quas frigido aëri vivendi adſtrinxit conditio, nigræ ſunt, ne à frigore ſolo qualitatem arceſſamus, quæ arcaniores poſcit cauſas, & figuræ texturæque ſuperficiei debitas. Quod autem vulgò animalia, quæ æſtate obſcura ſunt gilva aut nigra, hyeme ibi caneſcant, illud ut non ne-

gem

gem in plurimis verisſimum eſſe, nam in vicino Septentrione res compertisſima, tâmen non putem adeo hoc omnibus promiſcuè evenire, neque, ſi evenit, cauſam illorum juvare, qui id ſimpliciter frigori adſcribunt. Nempe non fuit hiſtoria ita temerè, ut narrabatur, accipienda, vel propterea, quod qui primi jactarunt hoc paradoxum, ſola ſe Olài Magni auctoritate tueantur. De Vulpeculis quidem Leporibusque etiam hodie narrant, eos hyeme candidis conſpici pilis, qui ad æſtatem ſi non exuant at ſaltem remittant colorem illum. De Ermineo animali, quod Hermelinum Olai Magni, quæ Muſtela Septentrionalium & Napponum, idem cognitum eſt: at verò non obſcure indicio præclariſſimi Schefferi ex MSS. Suecicis notare viſus ſum, eſſe plura ejusmodi animalia perpetuò alba, multisque temporum mutationibus obnoxia, & inter ipſa hosHermineos, quos proinde vereor, ne falsò accenſeant eis, quæ hyemalem viciſſitudinem

tudinem ſequuntur. Deinde haud parum me moratur, quòd non ſit annotatum, quâ potiſſimum parte illa pilorum mutatio contingat, ſummâ an infimâ, & num ad lanam quoque pilis ſubjectam, quâ imprimis denſa Vulpeculæ & Lepores veſtiuntur, idem iſte color penetret, an verò etiam ſoli proprius. Accedit haud vana conjectura videri in iſtis poris, quibus hæc accidit mutatio, ſemina candoris æſtate quoq; delitеſcere, & intendi duntaxat hyeme latiùsque propagari; evidentiſſimo, niſi fallor, in vulpinis leporinisque pilis experimento. Eſſet etiam cognitu neceſſarium, num eidem pili ſic caneſcentes in ſeram æſtatem perdurent, an verò dispereant, ſubnaſcentibus aliis ab hyemali iſto & decrepito candore diverſis; illum enim pilorum caſum plurimis eſſe animalibus familiarem & velut anniverſariæ ſenectæ ſpolia vulgatum eſt. At verò hoc quoque præteriri non debet, quòd nulla adeo ſint abſolutè nigra, quæ albedinem induunt,

ſed

ſed dubii plerumque coloris, quique haud multùm à cinereo diſtet. Certè, quæ nigra ſunt, etiam in Septentrione conſtanter & uſque ſervant colorem illum; & licèt vulgus, & qui oculatâ fide deſcripſiſſe rem viſi ſunt, coloris illam mutationem crebrò jactent, tamen neſcio quid ſuſpicionis ex illis Samuelis Rhenii apud Schefferum mihi ſubnaſcitur: ait ergò, *Aves nivales, Lagopodes, hyberno tempore penitus ſunt candidæ inſtar nivis, neque ullam nigram habent pennam, exceptis iis, quæ ſunt ſexus feminini, quæ pennam habent unicam nigram ſub unâ alarum:* hactenus certè nigram eſſe avem mihi perſuaſeram; ſed quàm diſſimile huic quod ſequitur? *appropinquante autem vere griſeum recipiunt colorem, quem & ſervant ad tempus hyemale, quo denuò fiunt candidæ.* Igitur nunquam fuerunt nigræ, & quæ ſunt griſeæ, induunt tantùm candidum colorem, quod & ipſum tam à naturâ quàm fideli narratione minùs eſt alienum. Corvos naſci albos in Septentrio-

ne

ne ſine ullâ miſturâ nigredinis notum jam eſt, at verò ex nigris ipſos tales evadere, necdum fando auditum. Ut jam ſuſpicari jure liceat, quæ animalia candorem hyeme recipiant, ea antè fuiſſe vel cinerei aut ſaltem gilvi coloris, nequaquam nigri. Quæ verò ſit cauſa, quòd quæ ſub eodem parallelo & in viciniâ degunt animalia, alia admittant hanc coloris mutationem, alia reſpuant, id quidem, CAROLE DRELINCURTI, criſi tuâ non indignum. In Scaniâ caneſcere Lepores, quòd neque in Zelandia nec procurrente Cimbriæ angulo evenit, vulgatiſſimum hìc eſt. Eruditiſſimus Olearius refert in itinere Moſcovitico, in Livoniâ hyeme candeſcere Lepores, qui tamen in vicinâ Curlandiâ nihil tale patiantur, ſolo Duinâ virtutem hanc velut ſequeſtrante: quâ occaſione mihi in memoriam revoco, quod Scriptores novelli de Guineæ Angolæque oris teſtantur, nempe, qui cis Senegam habitant, Afros, licet eodem aut majore torreantur Solis æſtu æquinoctiali

noctiali propriores, quàm qui ultra & fluvii tantùm ſpatio diſcreti degunt, non tamen eo imbui colore, quo vulgò germani Æthiopes gaudent. Unde apparet, non tantùm Solis hic nullam vim eſſe, verùm etiam aliam ſubeſſe & peculiarem tam præcipitis mutationis cauſam. Quod aliqui de aquarum genio, aut certâ aëris vel fundi conditione ſuſpicantur, id pariter incertum. Ineſſe aquis tingendi facultatem haud ita improbabile: ſcimus Veteres multum Clitumno ſuo tribuiſſe, & illi boves religioſo candore ſacros imputaſſe. Poſſe deinde aquas metallicas aut ſulfureo ſale delibutas tincturæ aliquid velleribus immittere aut coriis animalium facilè ſum crediturus, modò experimentorum ſuppetat copia, quæ ego levi curâ in animalibus per potum, Vitriolatis Nitroſiſque ſalibus infectum, fieri poſſe exiſtimo. Quòd ſi in pilis jam antè formalis albedo reſedit, ipſam cutis texturam attendendam eſſe arbitror, nam reflexiones illæ luminis per poro-

rum figurarumque in minimis ſitu ex facili variari ſolent. Sunt pili corpora tubulata plurimis & exiliſſimis conflata cylindris, multo interveniente ſucco, qui, prout tincturam imbibit, ſic eam paſſim in ſolidum diffundit: itaque pro copiâ, tincturaque ſucci illius mutari pilorum φάσιν neceſſe eſt; ſed verò illa ſe internæ ſanguinis diſpoſitioni & pororum, quibus effloreſcunt pili, contextui debet. Ut probabile jam ſit, ſecretiorem aëris influxum, qui mutare minimas & indiviſibiles ſanguinis particulas poteſt, etiam pilorum illum ſuccum ad tincturam modificare poſſe; ſive ſola ſanguinis hyemalis, tanquam ſiccioris & denſioris, conditio, ſeu ſimul inde pororum ſtrictura hic concurrat. Aer tamen ipſe etiam per ſe, prout eſt rarior & grandioris capax elateris, ſeu denſior, ita variare luminis illam reflexionem in pilis poteſt, ſicut id imprimis aëris, quo abundant, undulantis copia oſtendit. Sanè pili, etſi ſolidi videantur, perfunduntur tamen

non

non ſucco tantùm ſed etiam aëre. Sint ſetæ ſuillæ ſolidæ & aëre caſſæ, habeant minus ſubtilioris auræ vel Elephanti iſti, aut Hippopotami, ſeu Vaccæ fluvialis pili, Avium tamen plumis, quibus moles illa ſolidi in aëre ſuſtinetur, & animalium velociſſimis, Cervo imprimis, Lepori & ſimilibus, hiſce enim propter volatilem levitatem multò opus erat fluido, copioſam intra pilorum poros recondi aëris materiam, omnino ſpontè, & memorabili admodum experimento cervinæ pellis, quod recitat in vitâ Peireskii Celeberrimus Gaſſendus, perſuadeor. Quòd autem, ut ad priora redeam, non perinde omnibus in eâdem athmoſphærâ ſimilis contingat mutatio, effluviorum aliquorum ſingulari tranſpirationi imputandum eſt, ſive hoc ab ingenitâ causâ, ſeu alimentorum conditione aut aquarum temperamento nacta fuerint, quæ etiam in exiguis ſæpe terrarum tractibus variari ſolent. Equidem, pilorum jactura in multis anniverſaria, tranſpira-

tionis modò ſiccioris nunc humidioris copiæ, tum laxitati & pororum ſtricturæ deberi manifeſtum eſt, ut jam non dubitem, quin ab iisdem cauſis colorum iſtæ mutationes deduci etiam poſſint ipsâ jacturâ minores. De pororum texturâ ſolæ cicatrices documento ſunt, quantum ad pilorum ſive eﬄoreſcentiam ſeu colorem conferat: Relicti poſt variolarum ferociam nævi non transmittunt pilos, quòd textura illa vitiata ſit, & proportione pilorum arctiùs côacta; in Equis & aliis, ubi rudior corii diſpoſitio & pilorum vis vehementior, perrumpunt quidem per cicatrices pili, ſed ex nigris candeſcunt, ſtricturâ & ſiccitate meatuum, quæ callo propria, ſic modificante colorem. Alimenta & ipſa in ſuccorum mutatione valent plurimùm, præſertim, ſi fermento conſtent ſalino, ejus enim in mutandis coloribus potiſſimas vires eſſe non dubiis obſervationibus confectum eſt. De Vitriolo diu jactatum eſt, illud ſive in potu ſeu alimento exhibitum

tum nigredine tingere, & ego, poſtquam id in Atramenti Theriacæq; confecturâ demonſtratum vidi, circumſpectiùs arbitrari cœpi de illo Rhaſis Lib. 25 Contin. Cap. 24. *Epotam Calchanti drachmam unâ nocte albiſſimos pilos nigris permutaſſe, & aliquem ex Cygno Corvum factum.* Non exiſtimem te fugere experimentum, Vir Excell. quod ad ſcutellatam Equorum nigredinem cùm tuendam tum reducendam adhibere nunc paſſim ſolent, nodos ſc. & gemmas Quercuum, Vitriolato ſucco adhucdum fœtas, quas cum primo vere avenæ permiſcent, ſatis inde diu impreſſæ ſcutulis notæ adhæreſcunt, & canicies in nigredinem vertitur. Protritum eſt ſucco Quercino multa nigreſcere, ſive habitum immutet partium, ſeu particulis Vitrioli ſtriatis & aſperis ſuperficiem obducat. Eſt fortè alibi fœcundior Vitrioli aut Salis vegetativi ſub terris aura, quæ nec hyeme ceſſet, adeoque in plantas aut alimenta irrepens æſtivam nigredinem pertinaciter defen-

 dat

dat, alibi contrà & in vicinis aliquando locis rarior, aut ad hyemen deficiens, ita ut ad fermenti ſalini & tingentis indigentiam ipſe quoque nitor pilorum & nigredo intereant, ſuccedente canicie, quæ profectò haud contemnendum præbet laborantis pabuli & ſiccioris naturæ indicium; mox iterum ad ſuccorum vernantium & ſalinorum generationem propulſanda. Nunc ergo, quia de nigredine ſermo, quæ alimento aut potu procreatur, poſſet aliquis ſuſpicari, annon in Nigritis quoque color iſte Vitriolatis ſe debeat alimentis, an verò etiam auræ illi nitroſæ, quâ diximus æſtum plagæ Æthiopicæ emendari; verùm id curioſioribus decernendum relinquo.

Caput Quartumdecimū.

Quænam ergo ſit primæva nigredinis cauſa, & num à parentibus in nepotes translata, originem debeat vetuſtæ Iudæorum gentis mutationi, quæritur; degeneraſſe

generaſſe habitum & colorem gentium jam initio rerum, poſtquam affectibus & aſotiâ duci homines cœperunt, eſt veroſimile; tum etiam in unum primò objectum factam impresſionem ab imaginatione in nepotes manaſſe, & colorem ſimul illo habitu, continuato eodem vitæ ordine, in familiâ non tantùm aut gente, ſed natione hæſiſſe, non videtur abſurdum.

CUm nulla hactenus veri ſimilitudine Nigredinis Æthiopicæ origo ſit probata; diſpiciendum obiter eſt, num ingenii viribus primam ejus cauſam asſequi posſimus. Hodie quidem tam habitum quàm colorem illum, parentum eſſe tranſitivam notam facilè liquet, &, quam quisque pro ſe, tum Æthiopes, nacti ſunt proportionem, ſemini deberi ſive paterno ſeu materno, illi, tanquam efficienti, huic velut materiæ. Nec tamen propterea fingere oportuit ſemen parentum nigrum eſſe, cum ſub quovis colore potentiæ & fermentorum diverſisſimorum capax ſit, nec

nec color ille ſuperficiei interni ſpiritus affectiones deſignet. Habet in ſe genitura cùm paterna tum materna, in minimis etiam atque indiviſibilibus, certam & relativam ad objectum potentiam. Paternum quidem ſemen centrali fermentorum ſpirituumque ideâ præditum in Matris genituram determinatè agit, & pro partium & figurarum, etiam quæ inſenſiles ſunt, patientiâ omnia diſponit & moderatur, nec pellicularum, aut quæ ſunt abjejectiſſima corporis noſtri, negligens. Maternum & ipſum occultis latentibusque inſtructum ſolidarum partium ideis excipit ſpirituum è paterno ſemine emergentium potentiam, ſeque proportionatâ ex æquo ratione pasſivè accommodât. Nigredinis itaque ſemina vel efficienter in ſemine paterno aut diſpoſitivè in materno latent, vel ex æquo utrique ſe debent. Ego autem, etſi nonnulli aliter ſentiant, perinde paterni ſeminis potentiam determinatam eſſe exiſtimo, ac eſt materni, nec ullam

ullam utriusque, ut loquuntur, indifferentiam locum habere. Lateant in ſemine ſeu ovo materno nigredinis habitusque Æthiopici veſtigia, tamen, ut in actum emergant, opus eſt modali & determinatâ ſpiritus plaſtici efficaciâ, ille enim eſt, qui occultas & implicatas ſolidorum formas ab aliorum miſturâ ſecernat ſenſuique exponat, ipſe inſenſilis & terminis materiæ incluſus. Per illam ſpiritus actionem eſt, cur à Patre quoque nævi & maculæ in fœtum defluant, nec ſolis Matribus formandi relictus ſit locus. Tantundem autem eſt, ſive dixerim vultus illum characterem, ſimas nares & repanda labra, ſeu nigredinem iſtam, transfundi, utraque enim eâdem facilitate & ab eodem principio deſcendunt. Eſt autem color etiam figuræ affectio, adeoque & ſpiritus plaſtici motibus obnoxius. Non eſt, fateor, adeo dictu difficile, quomodo jam antè in parentibus exiſtens nigredimis nota ad fœtum transferatur, cùm quotidiana ſint & obvia ejus rei experimen-

 ta.

ta. Migrant nempe ipſæ illæ ideæ, & colliguntur ex ſanguine in ſemen, tanquam centrum, inde rurſum motu ſpiritus inteſtini evolvendæ. Habitus ſane Æthiopici colorisque ideæ latent in ſanguine, atque in ſemen aut ovum concentrantur, unde ad ſpiritus plaſtici fermentationem rurſum explicentur. Plurimis hodieque receptum eſt, condi in ovo corporis iſtius lineamenta, in quod deinde excreſcit, partium nimirum formas minutim deſcriptas, atque etiam colores; in Ovi namque albumine præter articulatam ſolidorum ſeriem colores quoque erumpunt, ille viſcerum modò rubor nunc albedo, illa pennarum picta varietas, &, quod ſtupendum eſt, ex cryſtallino & uniformi ad ſenſum humore. Hæc tamen non antè ſe exſerunt, quàm ſpiritus indeprehenſi fermento aut motu è potentiâ materiæ educantur & conſpicua fiant, illud enim adeo eſt, quod actum & potentiam diſtinguat, magnitudo ſc. & color; hiſce enim

enim arbitris tantùm termini partium & quantitates commodè dignoſcuntur. Illa autem ſic potentiâ incluſa, etſi oculum fugiant humanum ac propterea ineſſe ſæpè negentur, inſunt tamen revera, & ſi naturam ſubſtantiamque ſpectes, etiam actu, divino autem oculo planè γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα, ut eleganti & ſanctâ metaphorâ Apoſtolus alibi loquitur. Ut ergò formæ latent in liquore & fermenta activa, quæ figuras demum ſolidorum diſponant, ita ineſſe ſemini Parentum, quod illa Æthiopum lineamenta, illum colorem determinet, omninò eſt neceſſum: occulta quidem ſunt principiò in ſanguine, deinde etiam ſemine, nigredinis veſtigia, ſed, poſtquam in ſolidum & quantitatem materiæ diffuſa eſt, jam colore ſignari, jam viſu etiam aliisque ſenſibus cognoſci poteſt, olim adeo remota & quaſi nulla. Sed tandem horribile ſuboritur & öedipo dignum ſecretum, unde prima illa habitus colorisque Æthiopici impreſſio ma-

naverit uſque continuata, hactenus enim vulgata argumenta rejecimus. Jam inde à Noächi temporibus incubuiſſe genti illum colorem non poſſum arbitrari, quia inter filios ejus nemo, quod credo, tam ater ſit repertus, & à Ludo demum Mizraïmi filio, Æthiopum numerare gentem ſagaciores cœperint; ſed neque hoc quisquam dixerit, utrùm qui genti nomen, continuò etiam habitum & colorem intulerit, quamvis juſta ſit ſuſpicio unum gentis auctorem animi ſimul corporisque notas tradidiſſe. Si enim in varias formas coloresque diſcerpta fuiſſet familia, totidem jam veſtigia in eadem regione comparerent, quæ tamen unâ gente & per omnia ſibi ſimili hodieque incorrupta, nihil fovet alieni. Verùm fuerit Ludus, aut quisquis ille eſt Æthiopum auctor, nigredine perfuſus, certè niſi ejusdem ſortis conjugem erat reperturus, deficere debuit ex parte color in altero obſcurior; ut adeo ex miſturâ gentis etiam primi illi prognati videantur;

niſi

niſi quis malit ejusdem habitus colorisque feminam conſtanti & manſuræ poſteritati occaſionem dediſſe. Jam verò unde illa Ludi, unde ſociæ conjugis nigredo? an imaginatione & vitio parentum à teneris, an diætæ culpâ, & in ſerâ ætate contracta? Quod ſi ab imaginatione materna, Patris enim nullæ hic ſunt partes, quâ formâ, quo objecto, cujus nunquam antè extiterat ſimilitudo, in triſtem incidit damnatumque colorem prima illa Æthiopum genitrix? Incidiſſe quis dicat in picturam caſu aliquo formatam & monſtro quàm vitæ ſimiliorem, cujus deinde per oculum influxus ſanguinis ſeminisque ideam modificârit, ut eſſe illa vis imaginationis ſolet. Oves Jacobi, ut dubii coloris partum producerent, umbram tantùm viderant varii coloris in ſtipitibus,& per medias aquas refractam, & tamen ſola erat tincturæ in fœtu, non figuræ mutatio; non enim erat perinde inſolens baculorum forma, ut coloris; quippe quem in baculis fortè, & in lo-
co

eo tam inuſitato, unde major vis eſſet impreſſionis, nunquam viderant. Ex imagine Andromedæ candidioris apud Heliodorum enata eſt Regina candida; cujus vivum exemplar Mater nunquam antè conſpexerat. An ergo eum in modum picturâ aut ſtatuâ, nam ex hac quoque erroris occaſionem natam eſſe ſcio, imaginatio formata in fœtum tranſierit, non definio. A diæta autem multò minus eſt quod promittere poſſim, minimum etiam ab affectibus; non enim tam ſuperficialis eſt illa Æthiopum nigredo, ſed organica ferè & non levi Naturæ ſtudio procreata. Vidimus animalia nonnulla colorem ab alimentis trahere, & ex Vitrioli drachmâ pilorum tincturam immutari; notum quoque exemplum, niſi fides laboret annalium, juvenis unius noctis curâ caneſcentis: ſed tam artificioſam tamque altè inſidentem nigredinem haud temere ab animi corporisve ſollicitudine exſpectes. Quare, ſi ſpontè & non ſtatim ab initio incubuit nigre-

do,

lo, credibile eſt ab imaginatione, cujus ſemper fermenta partiumque figuras & colores immutandi magna vis fuit, profectam tincturam omnem quoque poſteritatem infamâſſe. Hanc itaque objici mihi video magnam difficultatem, quemadmodum ex unius vitio in nepotes adeò multos transferri habitus ille potuerit, ad paucos duntaxat ejusdem familiæ aut gentis poſteros vulgò pertinens: nam, licet imaginatio nunc quoque notam inurere genti ſoleat, niſi ſollicitè familiam mutuis & inteſtinis conjugiis tueantur, vix ſperare diuturnitatem notæ impreſſæ licet. Sunt in Italiâ & Galliâ, imo etiam Germaniâ familiæ notis gentiliciis inſignes, ſed neq; in omnes perinde nec eodem modò transeuntibus, imò tandem morâ defecturis. In Æthiopibus autem jam inde à tot ſeculis intemerata manſit figuræ colorisque ratio, non in familiam tantùm aut gentem, ſed innumerabilem nationum numerum propagata. Quare, ſi ſemel ab imaginatione proceſſit

ceſſit illa vis, neceſſe eſt vehemens illa fuerit & mirabili conſilio DEI temperata; probabile enim eſt impreſſam uni notam, in infinitum venturis uſque poſteris ſuffeciſſe, potentiâ per tot ſeſe deinde gentes actu explicante: Sanè, ut nunc res ſunt, declarari commodè negotium hoc poteſt per feminarum ovarium, infinitis, niſi credere religio ſit, cùm ovulis tum ideis partium fœcundum: in hoc totum neceſſe eſt primò vis illa imaginationis tranſierit, antequam eundem planè habitum coloremq; in familiam derivare poſſimus. Fiunt hodie etiam in uno alteroque individuo mutationes non leves, ſed vix in totam familiam, ne dicam, gentem, redundant. Ut jam uniformem concipere ovarii partiumque ejus mutationem in primâ gentis origine debeamus, atque ita ſingulis ovis impreſſam ſive formam ſeu ideam, in immenſum ſeſe multiplicantem, nullâ amplius arte, ſolâ imaginationis vi, deficere poſſe, raro & tamen minimè pertinaci exem-

plo in Dondos;nam eſt aliàs habitus ille Æthiopicus contumaciſſimus: quò magis conſtet, imaginationem, ſi quæ fuit, ſingulari Dei opere primùm productam, nunc etiam intemerato vivendi ordine & gentium alienarùm ſollicitâ abſtinentiâ, quæ eſt Æthiopum & omnium Barbarorum conditio, conſervari; hanc enim & non aliam rationem eſſe, cur cæteris gentibus tanta varietas immiſſa ſit, ſuo loco demonſtrabo. Sed quem rei tam abſtruſæ delectare cenſura poteſt, is rogo, Marcum Marci conſulat, virum in idearum deſignanda efficaciâ, ſi quis eſt alius, abſolutisſimum.

Caput Quintumdecimum.

AD majorem coloris Æthiopici lucem Europæorum candor adducitur, &, in quo ille conſiſtat, explicatur. Sanguinem ipſum, quatenus ſe proximè in reticulata

culata cutis vaſcula infert, cauſam eſſe colorum in habitu; & qui eſt accidentalis color ſeu præter naturam, eum vel externo pigmento & ſqualori Solis, ſeu interno fermento & veneno deberi, contenditur.

DE colore cutaneo Europæorum nemo fortè dubitârit, quin is ſolidæ partis affectio ſit, & à texturâ ejus dependeat: Verùm, ſi ſubitas illas colorum, ſaltem in vultu, mutationes in exemplum trahimus, apparet eſſe fluxam potius quàm ſtabilem cutis tincturam. In cuticulâ etiam ſeveriores Philoſophi coloris formam etiamnum quærunt; verùm, ut ipſa cuticula tenuis, atque pellucida, ita non ſuo, ſed alieno & ſubjectæ cutis gaudet colore. Error eſt, cuticulam opacam eſſe & coloris hoſpitam, temperat tantùm relucentem cutis vaſculorumque tincturam ipſa omnis coloris immunis, planè ut impoſitæ vitri lamellæ picturarum refringere chromatiſmos ſolent. Cutis verò ipſa in ſe complectitur colorem, eumque

eumque per membranam, ceu, nebuloſum cuticulæ textum transmittit paulùm refractum. Sed nec adeo ille color cuti inhærreſcit, ut ejus cenſendus ſit proprius, cum vaſcula tantùm non infinita cutim pererrent purpurâque ſuâ niveum fibrillarum nervearum contextum inficiant. Eſt dein cuticulam inter & cutim mucus quidam ſeu textum reticulare, cujus partes non exiguæ in colore temperando, licet huic etiam humor ſubinde impertiat tincturam, quam habet, modò tenacem & non eluendam, ut in Æthiopibus, nunc volatilem & ſuperficialem, tempore remediisque atterendam, ut in iis, qui à Sole ſunt peruſti, aut Bilis fermento luteo commaculati, apparet. Omnia ergo, quæ ſuccos illos, modò ſubcuticulares, nunc cutaneos & ſanguinem mutare apta nata ſunt, eadem corporis noſtri ſuperficiem alio atque alio colore imbuere ſemper poterunt: fermenta ea vocare liceat, quia humoribus hanc mutationem inferunt, ſive aërea ſint &

fluida, ſeu interna & in humoribus quærenda. Quantum autem humores valeant & ipſe imprimis ſanguis in extemporali cutis tincturâ, Gallorum Indicorũ experimento conſtat, quibus lobuli illi nervoſi, carnei, colli ornamentum, nunc coccinam induunt rubedinem, etiam ſanguine certantem, deſpumante ſcil. in cavos & tubulatos receſſus cruore, ſpirituũ effervеſcentium miniſterio; nunc cœrulum livorẽ, congelante illo nonnihil vel ſubducto; tandem etiam album, ad interiora planè repulſo, lobis ipſis ſpirituum defectu collabentibus. Tincturæ autem illæ cutis pertinaces ſive morboſæ ſint ſeu naturales, perpetuo alicui & durabili pigrmento imputandæ ſunt, aliquando Bili cùm copioſæ, tum ſubtili & volatili, uti flavus Hiſpanorum atque Italorum color; nunc etiam fixæ & exuſtæ nimium, uti Maurorum Arabumque fuſcitas, modò acido fixoque ſanguinis coägulo, ſicut qui eſt in Septentrione livor, modò pituitoſo & ſanguineo,

uti

uti maris Balthici accolis, tandem etiam ſanguineo, hoc eſt, temperatioris ſucci dominio, cui ſe Germanorum & Anglorum inde candor totum debet; nimirum prout ſanguinis eſt textura, ita etiam color cutis modificatur. Ebulliens ſanguis & felleo imbutus fermento, etiam in candidis facilè fuſcitatem efficit, ſed fugacem illam & leviculis remediis ſubigendam: quòd ſi usque continuetur, tandem pertinax oritur color & vernaculus, etiam in nepotes tranſiens; ſi quidem in totam maſſam diffuſum illud fermentum, ſemini quoque tincturæ ſuæ ſeu diſpoſitionis tribuat partem. Quam vulgò candidiores peregrinationibus ſuis conſequuntur fuſcitatem bilioſam, pulverulentâ viâ & urente Sole, eam non ab ipſo tantùm, quatenus poros laxat & humorem ſubcuticularem evocat, ſed maximè, quatenus bilioſum fermentum in ſanguine, illo imprimis vultus, ut qui nudus atque inermis, exaltat, oriri probabile eſt. Notavi proprio experimento, quo-

 tidianam

tidianam illam fuſcitatem facilè acido Arantiorum ſucco domari, quod nempe effervefcentiam ſanguinis biliofi feliciter reprimat, poros textumque reticularem oportunè conſtringat, ſaltem radiis iſtis Solis minùs reddat penetrabiles; nam radios eſſe & ipſam Solis lucem, quæ hunc colorem inducat, oſtenderint conopæa, larvæ, quibus ſic ſatis ſecuri feminarum vultus, non à colore, quippe quem experiuntur ſub illo tectorio gravem, ſed directâ lucis actione, ſervantur immunes. Ut non dubitem affirmare, lucem, ſi nullo admodum rorulento aut nocturno frigore excipiatur, fuſcitatem & tenebras corpori noſtro inferre. Sed tamen plurimùm quoque effluviorum cutim tranantium naturam hic poſſe mihi perſuaſiſſimùm eſt, imprimis, ſi tenax accedat & inſuperabilis calor, vel etiam, ut in Septentrionalibus evenit, indomitum frigus. Sol certè partim evocando in cutim fermenti biliofi particulas, partim humorem lymphaticum, quò aliàs cum

cum cæteri humores, tum ipſe mucus ſubcuticularis dilui ſolent, exſiccando fuſcitatem inducit; frigus autem condenſando & repellendo; nam craſſiores fixioresque ſive Bilis ſeu Melancholiæ atomi tranſpiratione exitum quærentes, à frigore athmoſphæræ, quæ ſuperficiem ſtringere cutis ſolet, cuticulæque denſitate reflectuntur, interque ſubtegmen reticulare aut mucoſum errantes hærent tandem implicanturq;, cùm ſuo ipſius tum texti illius viſco; quò conſtet, pro cauſarum diverſitate aliam eſſe atque aliam fuſcitatis ubique conditionem. Compertum eſt nævos maculasque ſolares, flavas illas & Bilis æmulas, non aliunde faciliùs contrahi, quàm ſi quis ſudante jam vultu & validâ tranſpiratione habitum ſubitò frigidâ adſpergat; ſic enim ſolutæ fuſæque Bilis particulæ ad frigus in tenues ſeſe colligunt orbiculos, denſæ jam & ſic implicatæ textui reticulari, ut vulgò olei ocelli concreſcere in ſuperficie liquorum ſolent. Jam qui ab interno

 principio

principio & ſanguinis affectione oritur calor & præter naturam, fermento is ſe debet morboſo aut venenoſo; nam, quæ ſuperficialis eſt tinctura & herbarum Metallorumque ſuccis pigmentisque conflata, ad propoſitum hoc non ſpectat. In morbis non inſolens mutari habitum coloremque corporis, modò albeſcere, aut liveſcere, nunc rubrum & aliquando luteum Ictericumq; conſequi colorem. Albedinem lenta & ſeroſa ſanguinis diſpoſitio, Leucophlegmatiæ & Chlorôſi Virginum familiaris; livorem, coägulum cruoris Syncopticum, acido & pituitoſo viſco prognatum; rubedinem, efferveſcentia volatilis coccineique ſanguinis, in febribus plerumque; fuſcitatem luteam, Bilis modò tenuis, nunc craſſa & fixa, cuti noſtræ adſpergunt: neque per ſanguinem tantùm fuſæ errant illæ nocentium humorùm particulæ, verùm etiam in corporis ſuperficiem inque textum reticulare expoſitæ, pellucidum membraneumq; cuticulæ velamen materia-

liter

liter obſcurant. Color autem ille, tam ſæpe varius à Bile, non alii quàm acido fermento imputari debet, texturam ejus mirificè immutanti; inde enim flavus, viridis, fuſcus, niger atque alii com-plures habitum nimis defædantes. Venenum etiam aſſumtum vel inflictum, cum in Bilem ut plurimùm ſeſe inferat, eamque diverſimodè diſponat & ſeparet, ſpargere coloris bilioſi virus, non per ſanguinem tantùm, ſed ipſum quoque ſolidorum contextum, idque intra paucas horas, Aſpidum ſuccorumque venenatorum experimentis ſatis edoctum eſt, ne laborioſiùs ea deducere opus habeamus.

Caput Sextumdecimum.

Quæ propriè ſit cutis noſtræ albedo, & quomodo à ſeſe discrepet, ut in vultu rubore temperetur, & tam à tubulorum nerveorum, ex quibus cutis eſt contexta, quam vaſculorum ſanguineorum commo-

modâ expanſione candor ille oriatur, expenditur.

QUid autem per candorem intelligamus, ut puto, ex prioribus notum eſſe poteſt; colorem, non abſolutè album, nec cadaveroſo ſimilem, ſed gradibus nonnullis à ſupremo illo exactiſſimoque Ceruſſæ fuco, tum etiam fuliginosâ obſcuritate recedentem, fuſcum nonnihil, lividiorem etiam, carneum, & quem vulgò inter pſos candidos appellant candidum. Duplex hodie eſt candoris ſignificatus, nam vel in univerſum ad omnes Europæos cùm Septentrionales tum Auſtrales extenditur, vel inter ipſos hoſce ad unam potiſſimum gentem, cæterarum quaſi matrem, refertur: apud Æthiopes verò omnes, qui à nigredine illâ recedunt, albi, etiam Mauri & Arabes, diverſâ comparatione. Eſt albedo Germanis propria, nempe quæ à juſto oritur ſanguinis temperamento, & à roſeo genarum vigore commendatur, in

in hoc uno vitioſa, quod faciliùs, quàm alii colores, deformetur, pro variatâ ſanguinis tincturâ in alia omnia degenerans; ubi fuſcitas illa vel Septentrionalium aut Meridiei nihil ferè mutari poteſt ſecura ſui. Reſpice, Vir Excell. Aſotorum vultus, quàm illi ex candidis & molliculis æruginoſam induant & puſtulatam vultus tincturam, quàm vetus illa & vernula albedo in fædum abeat coccineumque ruborem à nimis ſulfureo & ſpirituoſo vini miasmate profectum. Nulla tamen hactenus reperta rubedo, quæ cum Gallorum Indicorum iſtâ, quando deſpumant, In comparationem venire poſſit, & in pictorum operis, ubi imaginem condunt humanam, non debeat albo temperari, uti nec albedo tam eſt abſoluta, quæ non rubro ſemper infringi. Ut appareat ſanguinis ubique in colorando habitu præcipuas eſſe partes. Nimirum Pictores, ut ſummum exprimant nitidumque floridi vultus candorem, Cerusſâ utuntur, Minio aut Cinnabari, vel,

quæ melius nitorem illum aſſequitur, Laccâ Florentinâ temperato. Et verò color ille genarum roſeus, inſigne aliquando pudoris honeſtatisque argumentum, arteriolarum capillarium per cuticulam proximè transparentium & levi ſanguinis ebullitione inflatarum texturæ ſe debens, non admittit niſi levem Laccæ aut Minii miſturam, aliàs facilè depravandus. Cur autem rubedo plus ſeſe efferat in genis, & cur ad animi affectus magis effloreſcat & obſcuretur, gemina eſt cauſa; prima, quòd arteriolis longè copioſisſimis cutis ibi ſuperficies inſternatur, & cuticulæ, hic etiam teneriori, propiùs accumbat; altera, quod papillæ nerveæ à plurimis nervorum plexibus oriundæ ex vicino capite, ſpirituum officinâ, fluidum repetant cùm ſubtilius tum copioſius, adeòque fortiùs vel expandantur aut contrahantur, remittente nitore, quo aliàs animari vultus ſuperficies ſolet. Itaque, cum ad ſingulos animi motus ebullitio mutetur ſanguinis & ſpirituum,

modò

modò major, nunc minor, mirum non eſt aliam aliamque naſci coloris in vultu temperiem, lætam quidem & rubram, ſi ſanguis magis expandatur, ut in irâ & lætitia, triſtem & lividam, ſi conſtringatur, ut in ſollicitudine mordacique animi curâ.

Caput Septimumdecimum.

Differentiæ candoris Europæi ratione ætatis explicantur, & cur infantes, etiam candidisſimorum Parentum, mox à Matre rubeant, Senes plerunque obſcurius tingantur, quæritur. Rara de Æthiopum naſcentium albedine Hiſtoria.

EQuidem in noſtris, quibus naſcendi conditio peculiarem impreſſit albedinem, mutari color ille per varios numeros ſolet, non perindè conſtans & ſibi ſimilis; nam ad primam ſtatim lucis uſuram rubicundior toto corpore color

color, progreſſu annorum in candidiorem vertitur, in Viris, niſi cura accedat, rurſum defecturus in ruborem intentiorem, in ſenibus tandem tranſiens in ochratum penè pallorem aut obſcuram fuſcitatem, aridâ jam ſtriatâq; villi ſubcuticularis ſuperficie lucem ſuffocante. Notum eſt omnes, qui naſcuntur, infantes, ſive in Septentrione habeant, ſeu alibi in Europâ, protinus à Matre rubere, ut hoc Poëta expresſit, nec in genis modò, ſed toto pasſim corpore colorem alere, qui deinde candidior ſit futurus, ſi ita fert gentis conditio; nam nonnullos quoque candidiores naſci, quàm poſteà evadunt, Lapponum evicerit fuſcitas cum ipsâ ætate & ſqualoris/frigorisque augmento ingraveſcens. Noſtræ autem Matres nutriculæque ex rubedinis congenitæ intenſione candorem ſibi ſpondent futuram majorem, quàm ſi recenter albeſcunt, haud vano certè augurio; quò enim magis rubent expoſiti infantes, hòc plus ſanguinis fovere in ſuperficie videntur

dentur, qui demum durato habitu & ſolidatâ cutis texturâ in remiſſiorem transeat rubedinem, albo nempe temperatam; ſed non ſanguinem tantùm, verùm & halitus quoſdam craſſiores denſioresque in illis tenebris & uterino carcere contractos, nec ob aëreæ vibrationis defectum ſatis ventilatos, in ruboris illius intenſionem accedere facilè perſuadeor, aëre deinde luminoſo, dum poros corporis ultrò citroq; perpluit, effluvia lentè depaſcente, ut adeò nitidior multò candidiorque exſurgat habitus poſt ſolium aliquot lucisque uſuras, quàm in utero & illâ ſolis abſentiâ. An verò contraria ſit Æthiopum in naſcendo fortuna, ut ex Purchaſii itinerario deſcripſit Boylæus; quòd, ut ipſius verbis rem narrem, *albi naſcantur, coloremque intra biduum cum nigro commutent, & Luſitani regni Congo incolæ liberos interdum ex Æthiopiſſis ſuſcipiant, ac ſæpiùs patres decipiantur, rati, quando infans editur, prolem eſſe ſuam, & intra biduum filius filiave*

liave nigritæ deprehendantur, *ægrè hoc ferentibus Luſitanis.* Cum autem illa hodie ſit experimentorum copia & commerciorum vicisſitudo, ipſæ quoque Æthiopiſſæ in hoc noſtro orbe non infrequenter pariant, mirari cœpi, & tantum non fidem narrantis ſuſpectam habere; quòd hodiè nihil tale ſit cognitum: Piſo certè & Marcgrafius, accurati uterque rerum iſtarum cenſores, non poterant hiſtoriam tam notabilem, ſiquidem vera eſſet, negligere. Naſci aliquando albos inter Æthiopes non eſt negandum, quando Scriptores exoticorum velut rariores Regum in iſtis plagis delicias albos referant Æthiopes, *Dondos*, ſic enim appellantur; ut diverſo quaſi delectu illi candidam, noſtri nigram pellem, nec minori quiſque invidiâ in voluptatis uſum adſciſcere videantur. Sed ut nunquam, qui nigri naſcuntur, in albos mutantur, ſic neque, qui albi ſunt, nigros fieri exiſtimem; quoniam cutis illa tinctura genitiva eſt, & jam tum à primis lineamentis impreſſa.

preſſa. Quid? ſi ſperare hoc potuiſſet apud Heliodorum Perſina ChariclEæ Mater, habuiſſet materiam ſolatii, non temere in hæc verba erumpens, *πεπεισμένη τὴν σὴν χροιὰν μοιχείαν ἐμοι προσάψουσαν*: nempe ſuſpectam jure reddebat filiæ candor, cum ipſa nigra eſſet; ſed non eſt cur Heliodorum magnopere in hoc ſequamur pöeticæ magis fidei quam hiſtoriæ cuſtodem, ut eſſe mos hodieque illorum ſolet, quos *Romans* Galli appellant; pulcrè tamen & Naturæ legibus convenienter, quòd ex Andromedæ intuitu candorem illum enatum eſſe oſtendat, Perſinam ſic quoque criminis ſuſpicione liberans. Ut autem ad Purchaſii redeam narrationem, illam non penitus explodendam eſſe reor. ſed, ut nonnulli amant loqui, cum grano ſalis accipiendam; non aliter ac ſi naſcentium Æthiopum color dilutior ſit paulò rubicundiorque, ut eſt recens à liquore uterino, mox, ubi aëri eſt admiſſus & exſiccari plexus ſubcuticularis incipit, fuliginoſæ illæ fibræ,

quæ

quæ nigredinem repræſentant, arctiùs inter ſe uniantur habitumque magis opacent. Jam antè monui eſſe in cute naſcentium plurimum ſanguinis, experientiâ rem conficiente; nam deraſâ in Embryonibus cuticulâ, deraditur autem facillimè cremore uterino emollita, infiniti illi vaſculorum cutim pererrantium plexus & rorulentus ſubtus humor manifeſtè deprehenduntur. Hoc ergò ſanguine tam frequenti & lymphâ ſubcuticulari temperari putem ſtriatas illas & nigras reticuli ſubcuticularis fibras, & in rubedinem ſeu fuſcitatem deſinere; quemadmodum, ſi quis Minio vel Ochrâ extulerit fuliginoſi pigmenti tenebras: jam verò ſanguine poſt aëris liberrima perpluvia, & externum corporis muſculorumque motum (nam hujus potiſſimum defectu in utero morari in capillaribus ſanguis videtur) excuſſo & ad truncos magis recedente, roreque illo unguinoſo, qui diſtinebat reticulatæ nigredinis fibras, paulatim exſiccato, neceſſè eſt coire eas, junctiſque

que ſtaminibus profundiùs nigreſcere. Itaque diversâ paulò ratione, modò ex illuſtriore in obſcurum, modò ex obſcuro in illuſtriorem vertitur: hinc noſtræ cutis albedo à ſanguine ſæpè ruborem nanciſcitur, Æthiopum contrà nigredo pallorem quendam, ſi cum profundâ nigredine comparetur. Quòd autem fuſcis nationibus & ſub calido climate degentibus conſtanter talis maneat color, partim ab effluviis bilioſis in ſubcuticulare textum evocatis nec facilè cedentibus, tum fortè etiam defectui roris Lymphatici, qui expolire cuticulam & utcunque lævem reddere ſolet, deducendum eſſe puto.

Caput Octavumdecimum.

Deſcribuntur candoris differentiæ, quæ à ſexu proveniunt, & quot ſæpe & quàm ſollicitis artibus feminarum candor defendi debeat, aliàs facilè periturus, copiosè

copioſè diſputatur. Accedit de fucorum naturâ judicium.

Eſt in candoris noſtri examine ad Sexum imprimis attendendum, feminas enim candoris habere prærogativam indubium eſt, ſive illum Natura ingeneret, ſeu ars vitæque mollities producat. Ego autem multis perſuadeor ut credam præter figuram corporis externamque ſeriem nihil admodum ſingulare illis à Naturâ accidiſſe, colorem verò aliunde conſtare. In Æthiopibus certè omnibusque fuſcis nullum color ſexus diſcrimen fecit. Quis non videt feminas formam ſuam, quam velut in pignus acceperunt, non otio tantùm & abſtinentiâ publici, verum etiam diætæ temperamento defendere, aut, ſi mavis, parare. Notus eſt ille ciborum delectus, & ad candorem tuendum reperta bellaria: & ut aliàs in ἀσωτίας atq; libidines naturâ magis propendeant quàm Viri, tamen formæ quâdam reverentiâ, & eò quòd feminæ ſint (neſcio

ſcio enim, quo fato probroſiora ſint in illo ſexu vitia, quàm in noſtro) ab omni intempeſtivâ diætâ, niſi quæ ad candorem eſt comparata, & comeſſationibus ſeſe abſtinent; jam verò ex occaſione aut errore natam ſuſcitatem lacticiniorum uſu, quippe quæ coloris ſimilitudine vultum illuſtrare feminea eſt perſuaſio, & clyſterum quotidianis diluviis depellere & occupare magno conatu laborant; in potu deinde aquam puram, ſed nitidam vivoque è fonte bibunt, vinum exoſæ, ne ſulfureus ejus nidor inflare ſanguinem puſtulatâque rubedine violare candorem poſſit, ut popularibus maximè tuis, Vir Excell. ut quibus formæ præcipua eſt cura, familiare eſt. Eſſe potus vim maximam in tincturis corporum immutandis jam olim crediderunt veteres, & hodie noſtris eſt perſuaſum: illæ enim bibulorum pictæ facies quid aliud quam vini ſpirituoſæque cereviſiæ uſum ultrò loquuntur; quid deinde aër poſſit quidque lumen, in propatulo eſt. Sanè vel re-

flexum nimis, aut calore importunum, vel etiam planè deficiens in candore illo mutando plurimûm valet. Opus eſt omnino luce ad ſerenandũ corporis colorem,& ad reticuli ſubcuticularis debitam explicationem,quo temperetur albedo. Lux contra proportione major & calida plus extrahit humoris&corrugat cuticulam,ut jam minus habeat virium &tenſionis ad lucem albedinemve refleꝭtendam; minor autem & obſcura ne quidem ſatis habet, quò evocet rorem ſubcuticularem & ſanguinem attenuet, cujus imprimis, ut ante oſtendi, fermentatione vividus conſtat color; hinc vel in pallorem deſinit cadaveroſum, aut fuliginoſam fuſcitatem, prout nempe ſanguinis eſt temperamentum, ſicut luculentis exemplis carcerarii demonſtrant, qui pridem in ſubterranea & caliginoſa loca rejecti, mox, ubi luci oſtenduntur, obſcurum referunt triſtemque omnino colorem; & in Metallorum foſſoribus non tantùm eſt ros ille metallicus, quamvis plurimùm præſtet,

ſtet, ſed quotidiana etiam cum tenebris conſuetudo, quæ pallorem plusquàm cadaveroſum illis impingat. Nimirum, quando ſuppono eſſe ſuccum quendam ſubcuticularem, qui cutis temperet ſiccitatem, eum neceſſe eſt ab æquali cùm luce tum calore conſervari, quæ cum in noſtrum hunc aërem commodè cadant, non videtur amplius mirum, cur is maximè ſit idoneus ad firmandam popularium noſtrorum albedinem. Equidem, niſi temperamentum illud cutis ſollicitè ſervetur, ſtatim mutari color ille ſolet; ita ſi quis vel unum diem Soli ſe obvertat æſtivo, ilicò candor obſcuratur, cùm exſiccatione roris, tum mutatione texturæ cutaneæ. Eſt verò fuſca potiſſimum rubedo, quæ à Sole infertur, quia non cutis tantùm ſolidum, ſed ipſe etiam ſanguis afficitur, atque ita ſub æſtu illo laborat, ut Bilis efferveſcentis particulæ, ſi diutiùs radii incidant, reticulari & mucoſæ membranæ ſeu cuti ſeſe intexant, atq; colorem cutis naturâ album

 propriâ

propriâ fuſcitate corrumpant. Sanè, qui ſe pro fuſcis aut nigris venditare volunt errones Cingari, non vultum duntaxat, ſed totum quoque habitum adverſo ſole torrere in more habent, ut in tanto ſolis æſtu receptæ intra cutis contextum Bilis particulæ jam exuſtæ, obſcuriorem & propemodum nigrum contrahant fuſcitatem, ſæpe etiam pigmentis lardoque & magnâ ſuccorum mole intendendam. Sed verò ille ſic multâ lucis caloriſque percuſſione excitatus color, facilè in ſobolem tranſit, nullis adeo artibus, niſi quas mutuo commercio ſunt edocti, fovendus. Faciet ergo fuſcos Solaris ardor, nigros aut Æthiopes nunquam. Apparet etiam non inutile eſſe illud muliercularum ſtudium in hoc unicè adnitentium, ne, quâ Virorum aucupari amores ſolent, gratia & nivea albedo, aut ſi quid eſt candidius, ab influxu radiorum Solis deformetur. Hinc in publicum non procedunt, niſi conopæis, larvis, aut culullis à Solis injuriâ tutæ; hinc quæ-
ſitis

ſitis ſeſe remediis adverſùs caloris exſiccantis vim, ſi declinari aliter res nequit, ſtudioſè defendunt. Circumferuntur in eam rem aquæ cosmeticæ complures & ingens offuciarum apparatus tincturæque Virginales, quarum longè major hodie copia & fructuoſior quæſtus quàm medicamentorum. Putem autem omnia illa coſmetica ex noſtris principiis referri ad tres facultates poſſe; vel enim blandè refrigerant, compeſcuntque effervеſcentiam ebullientis in capillaribus ſanguinis, aut bilioſa ſemina jam antè impreſſa leniter diſcutiunt, vel etiam emolliunt rigorem asperitatemque cutis lucem facilè ſuffocantis: quæ refrigerant, vel ſimpliciter frigidam humidamque qualitatem aut ſimul nitroſam ſalinam nacta ſunt, ut aquæ Plantaginis, Nympheæ, Melonum, Sempervivi majoris etc. vel etiam aluminoſam adſtringentem, aut vitriolatam, ut Limonum ſuccus & Tartari acidum; nunc etiam diſcutientem & tenuis ſubſtantiæ, quæ fixas ſub

cuticulâ particulas reſolvere apta nata ſunt, ut Aquæ Aromaticæ, ſive nitroſo refrigerio ſeu volatili ſpiritu cõmitatæ, ut Roſarum illa, fl. Fabarum, fl. Citri, Jaſmini etc; Tincturæ aromatum per acidum Citri ſuccum aut Roſarum aquam in Lac virginale (ſic autem vocantur vulgo lactea coſmetica) præcipitatæ, quæque majore hoc efficaciâ agunt, Salia volatilia oleoſa & ſaponata, ut eſt Caphura; vel humida & acria, ut quæ ex Raphano ſeu antiſcorbuticis petuntur; tandem verò quæ ſuperficialem & emollientem nacta ſunt qualitatem, ut Amygdalarum ſuccus, albumen Ovi, ſolutio Tragacanthi: quæ omnia materiam præbent, quâ fuſcitas vel profligari, aut albedo conſervari in mulierculis ſolet, ne ſic quidem ſatis tuta, niſi fuci accesſisſent, pigmenta & corruptelæ genarum, quibus non tam cuſtodiunt naturalem cutis candorem, quàm obducunt, haud ſuâ ſed alienâ formâ ſuperbæ: de quibus hoc tantùm dico, ſi mercurialia

ſunt

ſunt, ut ſunt pleraque, peſſimè honeſtati oris conſuli, peſſimè valetudini; nam, ut temperies eſt quædam coloris humani nec exſurgentis nimis nec nimis depresſi, ita Ceruſsâ vel Plumbi mole, quâ genarum morbo vel vetuſtate laborantium ſupplere lacunas conſueverunt, hoc duntaxat conſequuntur, ut tandem ſine fucis placere nec Viris nec ſibi ipſæ posſint, ad extremum quoque edentulæ. Ab hâc ſanè labe eſt, quòd Hiſpaniæ meretriculæ in emendicato vel Ceruſſæ, Cinnabaris aut Lithargyrii pigmento, nigros circumferant & ſemiruptos dentes aut caſſa planè alvearia; quia mercuriale miasma, quo Cinnábaris abundat, carnium nervorumque laxitatem & ſalivalis humoris nimiam excitat copiam: unde tanto tamque operoſo apparatu alia excogitata, quæ eandem illam oris purpuram candoremque tuerentur, nec tamen ſanitati aut juſtæ in cæteris proportioni officerent. Hinc Bezettæ ex granis Kermes, baccis Spinachiæ bacciferæ, Solani A-

 mericam

mericani, hinc chartæ illæ Hiſpanienſes, delicium & arcanum gentis, ſub virore delicatam purpuram occulentes, nonniſi maximo pretio redimendæ, ſive ex Laccâ ſeu Heliotropii ſucco tincturam acceperint. Quibus apparet, quanto ſtudio & arte conſervari aut corrigi color ille debuerit in Feminis tantopere adamatus; à quâ moleſtiâ cum liberæ ſint fuſcæ gentes, tùm maximè Æthiopes, non dubitaverim hoc nomine adſcribere illis quantulamcunque coloris prærogativam.

Caput Nonumdecimum.

Quid denique Vitæ genus in unius plagæ incolis ad mutandum cutis candorem posſit, & quantùm aquæ, aëris locorumq; natura hodie à veteri illâ & à ſe invicem diſcrepet, examinatur.

IPſis quinetiam viris magna impendet à vitæ genere coloris mutatio, nam in eodem climate, qui ſe in tenebras & clau-

clauſtra immergunt malè feriati, alium præferunt colorem, quàm qui apricà Solis lucisque uſum frequentant. Monachi, illi imprimis, qui ſeveriorum legum cuſtodes omnem ejurarunt conſuetudinem liberiorem, pallore illo cadaveroſo ſatis oſtendunt, quid aëris in talibus præſtet commercium. Aliter etiam ſunt colorati inter Viros, qui comeſſationibus & ebriis conviviis ſe fatigant, quam quibus frugalis ſedet & exigua cœna. Utque ad aërem redeam, Nobiles venationibus bellisque dediti, etiam cum poſſunt, declinare aëris iſtas injurias molle putant atque femineum; ruſtici contrà cōacti ſubire auræ illam intemperiem in eâdem plagâ, longè civibus, & qui urbes habitant, ſunt fuſciores; ita ut, niſi capillorum rutilans color & cœrula lumina Germanici candoris proderent veſtigia, etiam in hiſce plagis pro Galliæ Hiſpaniæque incolis facilè acciperentur, quod tamen omne accidentale hic, ibi gentilitium & perpetuum. Cur verò Germa-

norum

norum non ſit amplius ille candor adeo celebratis, haud difficulter cauſam reddere poſſumus, &, ut Eruditorum ille ocellus H. Conringius peculiari libro hoc attigerit, tamen eſſe etiam, quæ addi posſint, mihi quidem prrſuadeo. Scio Virum maximum aëris non adeo magnam habere in hoc negotio rationem, quòd is cœli motibus obnoxius nihil admodum mutaſſe videatur: ſed expendenti jam inde à longo tempore plagarum naturam atque inter ſe proportionem, facilè apparet aliquam in Germaniæ tractu inductam eſſe variationem; non tam quòd cœlorum iſtæ ſint partes, quàm athmoſphæræ plurimum aëri noſtro, ex quo vivimus, tribuentis. Sit usque & maneat in eodem centro terra (quamvis obliquatum eſſe nonnihil ejus ſitum tot annorum lapſu experimento Dominici Mariæ Bononienſis, quod in vita Copernici memoratur, ſuſpicari quis poſſet) nihil etiam Stellæ vel Planetæ nutent; attamen hæc n oſtra Athmoſphæra, quæ terræ ſeſe debet

bet halitibus, vix una & eadem ſemper eſſe poterit, cum tot mutationibus eisque levibus temperies ejus ſubjiciatur. Si quæ eſt annalium fides, puto autem eſſe, fulſere quondam candidi ibi Soles, ubi nunc caliginoſa omnia, pendula & volitantia nubium agmina. Lucis colorisque refractiones, quibus jam antè dixi colorem noſtrum vel ſerenari aut offundi, ab athmoſphærâ noſtrâ præcipuam accipiunt vim, & pro conſuetudine ejus aliter atque aliter temperantur. Hæc verò athmoſphæra pro ignis centralis ſubterraneique naturâ modò paucis nunc frequentioribus & aliis atque aliis vaporibus perfunditur, atque ita anni tempeſtates inter ſe in infinitum variant. Sit circulus quidam in rerum naturâ ſive anniverſarius, ſeu luſtralis, ſeu denique ſecularis; tamen nec modorum, nec accidentium eadem ſemper ratio eſſe poterit. Cœlum circa idem accuratè centrum æquali libramine verti facilè conceſſerim, ſed terræ adeo variegatæ &

ex pugnantibus elementis coactæ eandem eſſe ſemper conſtantiam non temerè quis probaverit. Senſimus jam ipſi eâ ætate athmoſphæræ, quæ pars terræ noſtræ cenſenda eſt, vicisſitudines; hyemes contra morem molles, retentis in Septentrione ramentis glacialibus; ipſas rurſum æſtates duras & penè autumnales, infringentibus Solis temperiem aqueis nitroſisque effluviis, atque hæc tam diverſo & inficeto ordine, ut cum anteactorum temporum memoriâ hæ ipſæ tempeſtates comparari nequeant: jam verò ex contrariâ plagâ, unde nemo ſperaverit, hyemalem erepere & glacialem auram inſolito experimento vidimus. In Septentrione etiam alibi terræ deſeruntur, ſufflaminâtis navigationibus, propter creſcentis quotidie frigoris injurias, quas tamen aliis iterum regionibus decedere neceſſe eſt. Ita ut propter illam athmoſphæræ inæqualitatem plurimis gentibus migrandi fuiſſe impoſitam neceſſitatem ſeriò credam. Taceo in ple-

risque

riſque terræ planis poſt tot diluvia & vaſtitates alium videri horizontem, alia ſtrata; nunc Solis ipſam lucem & calorem montium intervallis temperari, nunc perpendiculari reflexione augeri. Sylvas olim, præſertim in hac Germaniâ, lucis colorisque intemperiem moderantes, excîſis arboribus complanatas, vel arenarum terrarumque molibus, ut in Bataviæ planis & alibi in Anglia factum eſſe conſtat, obrutas, liberiorem nunc Soli impetum concedere manifeſtum eſt. Scilicet, quod Pöeta de artificiali vicisſitudine perverſisque Romanorum moribus, id jure ego alibi de Naturâ,

Expelluntur aquæ ſaxis, mare naſcitur arvis,
Et permutatâ rerum ſtatione rebellant.

Et verò eſſe alium inſularum aut urbium maris plano innatantium genium vel Venetiæ teſtes ſunt, ubi ſudo tranquilloque cœlo, complanatâ aquæ ſuperficie potentisſimam radiorum reflexionem

flexionem & tantùm non intolerabilem reperi; ut adeo hoc ipſum multùm ad exſiccationem habitus colorisque mutationem conferre posſit. Sed ut athmophæra ſit eadem, quæ olim fuit in Germaniâ, tamen ſtudio & operâ hominum alium ea accepit modum; nam, poſtquam cultiores eſſe cœperunt indigenæ noſtri, non diſperſi amplius fuere in vicos, pagos aut rura, ſed in frequentiores conventus, in urbes; ubi tot fumantia altaria & peregrino Sulfuris nidore perfuſa, tot rerum ad vitam neceſſariarum commercia, ipſæ tegulæ domorum altius eductæ atque in angiportus ambagioſos diſtinctæ, lucis aërisque impulſus mirificè variant, adeoque pro menſurâ & proportione refractionis averſionisque radiorum ſolarium colores corporum quoque immutant; ut adeo, prout athmoſphæra montium, vallium, planorum, terræ ſaxeæ, ſabuloſæ, pinguis, fluentorum, lacuum, paludum, nivium & marium vicinorum eſt diverſa, ita etiam

refractio-

refractiones lucis & caloris diverſas eſſe neceſſarium ſit. Quotidiano ſenſu etiam ruricolis conſtat, aliam eſſe reflexionem à ſaxo quàm terrâ, aliam à perpendiculari plano, quam horizontali, & pro ſubjecti ad reflectendum diſpoſiti naturâ radiorumque incidentiâ, caloris lucisq; mutari vices. Ex quibus facilè innoteſcit, locorum, quæ ſub eodem parallelo & plagâ ſita ſunt, aliam eſſe colorandi vim, modò intenſiorem nunc exiliorem; quando omnis vis, quæ à Sole eſt, per athmoſphæram hanc noſtram perque terræ ſtrata, ibi refractione, hic reflexione modificetur; imò etiam fieri posſit, ut gentes, quæ aliàs Solem habent non adeò propitium, aëris terræq; beneficio injurias ejus declinent; quam oſtendi paſſim prærogativam eſſe Nigritarum & eorum qui ſub torridâ habitant zonâ, non Solis ibi beneficio ſed terræ & aquæ athmoſphærâ viventium. Nec aliam ob cauſam Britannorum eſt ſingularis & ferè præcipuus inter omnes gentes candor, quàm quod clementio-

rem experiantur athmoſphæram. Equidem Thameſis, fluvii nitroſisſimi, fœcundi atque pinguis, vapore, tum potu nitido & delectis ad hoc cibis, conſpirante deindè corporis curâ, niteſcere iſtos vultus & ad invidiam ſerenari crediderim, imo temperie iſtâ fumoſæ aliàs & carbonariæ urbis & ſalſuginoſos maris vapores emendari; ut perpetua illa ſit & in multam poſteritatem tranſitura venuſtas, niſi hanc quoque gentium eò prorepentium colluvies ſenſim vitiabit; Hyberni contrâ, etſi vicini, expoſiti maris terræque injuriis, nullis beneficiis ſecuri, obſcuri maximam partem & fuſci, imò etiam valdè feroces. Eſt proinde juſta ratio, cur credamus vernaculum quemque & indigenam aërem plurimùm in habitu coloreque corporis mutando poſſe, imprimis, qui nos proximè afficit, premit, & ſuis illis impulſibus ſuperficiem temperat; ne jam mirum videatur, aliter eſſe coloratas, quæ in Americâ degunt gentes, etſi eidem ſint parallelo obnoxiæ, jamque in viciniâ Senêgæ alium

lium eſſe vultus characterem, alium colorem, quàm qui eſt Nigritarum ultra eum. Nolim tamen inficiari, alimentorum quoque hìc eſſe aliquem uſum, nam & antè ipſi hoc oſtendimus, & totus in eo oſtendendo fuit laudato opero Conringius. Accedunt deindè aliæ etiam cauſæ, cur à ſeſe mutuò ita differant & diverſimodè colorentur gentes populares, urbanæ & ejusdem loci incolæ; illæ nempe nationum inter ſe miſturæ & migrationes; quid enim hodie ſincerum atque impermiſtum? alia nunc ſunt hominum commercia, quàm olim, ubi ſuis quiſque ſe finibus tuebantur certò vitæ genere contenti; jam ex omnium gentium moribus rapitur aliquid & in diverſiſſima coïtur. Sunt hìc paſſim in Germaniâ Gothorum, ſunt Celtiberorum, ſunt Scytharum & Barbarorum ferè omnium reliquiæ, quæ poſt inundatas terras velut ſedimentum adhæſerunt, nunc quoque antiquæ Barbarorum potentiæ teſtes. In Italiâ Gothi, in Hiſpaniâ Mauri etiam, verum illum & antiquum habitum co-

loremque non leviter immutarunt, ne quid de moribus dicam; imo vero ipſi Celtiberi non aliter conſtare veram nobilitatem exiſtimant, niſi Gothorum ſe eſſe reliquias oſtenderint, alii etiam Maurorum, quibus certè majoribus plurimi Hiſpanorum gloriari ſolent. Tui autem Galli, Vir Excell. quàm non & ipſi variis gentium excurſibus miſturisque vitiati, Normannis, Britannis & aliis? ſic ut nondum omnes avitæ & peregrinæ indolis ſemina amiſerint. Saraceni, ultimi Barbarorum, longè latèque per Africam dominantes, partim jure belli partim commerciis jactantur, & Mauritaniæ, Ægypti, Indiæque tractus, miſturâ primum gentis corruptos, tributarios fecerunt. Græcia hodie qualis? impura certè; tota etiam Aſia mutuis attrita & permiſta commerciis, alios atq; alios populos in ſe transtulit, moresque & habitum à veteri illo multùm mutavit, ut jam olim Poëta de Syris Græcisque Romam confluentibus;

Jam pridem Syrus in Tybrim defluxit Orontes.

Per Tartaros fædati jam ſunt Chinenſes, & Americani inter ſe invicem bellis permiſti atque vitiati; Æthiopes minùs alias corrupti, cæteris tamen gentibus maculam hodieque adſpergunt, in colonias Indiæ utriusque ex Africâ deducti, magno profectò numero; ex horum ergo cum aliis gentibus concubitu *Cabocles, Mulatti, Meſtices*, hybridarum nomina, quia dubiæ genti miſturam debent, colore utrinq; accepto & ex parte fædato. Longum foret & præter rem omnia repetere; id unum dico, aëris illam temperiem pro conditione ſingularum regionum transiiſſe in genituram; & ſic, quamdiu non fuerunt mutata, per quæ hucuſque ſteterat ille habitus, continuatum fuiſſe gentium characterem, donec per novas gentium cœlorumque mutationes rurſum degeneraret. Eſt, non inficior, magna ſeminum poteſtas in determinandis illis proportionibus, & facilè genitales notæ à ſolâ vel aëris aut alimentorum temperie obducuntur, ſed tamen valdè urgente aëris fluore ne-

re neceſſe eſt diſtorqueantur nonnihil ſeminum aut, ſi ita placet, ovorum ideæ. Quis dubitet Hiſpanos infantes jam maturè & inde ab ineunte ætate in aliam regionem expoſitos, ſi non in ſe ipſis, at ſaltem in nepotibus aliquam reperturos eſſe mutationem vel colore tenùs, qui plurimùm aëri debet; nam oculorum aut vultus lineamenta non niſi ſerò elangueſcere domeſticâ obſervatione notum. Sanè, ut conſtet quomodo ab una poſt diluvium familiâ, eâque haud magnopere à ſe diverſâ, tot diffuſæ ſint gentium ſpecies, ſi Dei excipias arcanam potentiam, ad aëris alimentorumque & ipſius vitæ rationes confugias neceſſe eſt. Credibile eſt Noâchi poſteros, prout in hanc vel illam plagam certumque vivendi ordinem conſenſerunt, peculiarem inde accepiſſe corporis habitum, figuram & colorem, quæ quidem intemerata manſerunt, donec ipſi, ut eſt inſtabile genus humanum, vel mutare vitæ ordinem aut habitationem, vel propriâ ubertate aut mutuis incurſibus in alia con-

concedere erant coäcti. Atque ita tamdiu populis æquabilis ille & antiqus conſtitit habitus, quamdiu ſuis ſeſe finibus continuerunt, aliis intacti vel inviſi; ſed ſimul ac commercia, bella atq; excurſus agitata ſunt, & *amor ſucceſſit habendi*, novæ vultuum notæ, alia habitus & oris lineamenta in ſingulis ferè gentibus emerſerunt, ut jam nihil ampliùs primitivo colori, nihil veteri ſtaturæ ſimile ſit aut affine.

Caput Vigeſimum.

Repetitur proximè & breviter, cui ſe color cutis noſtræ materialiter debeat, utrùm cuticulæ, cuti, an tertio corpori; quisve ille ſit Succus, quæ tinctura, pro varietate gentium, tandem definitur.

ID tantùm obiter de colore adjiciam noſtro, quamvis guſtum jam antè pluribus dederim, non omnem adeo fluido deberi corpori; ſed fixum eſſe ex parte in reticulari illâ & mucoſâ membranâ, partim etiam in ſolidâ & fibroſâ cutis texturâ, ut ſcilicet excipere quodammodo aëris perſpirati injurias ſeq; im-

munem ſervare poſſit: inconſtantiam tamen etiam & mobilitatem coloris cutanei, ſed à fluido humorum profectam, ſatis arguunt viciſſitudines, quæ tempeſtate frigidâ & calidâ ſuperficiem corporis immutant. Modi autem coloris, qui & ipſi varii ſunt, à particularum volatilium aut fixarum miſturâ dependent. Sanguis leviter ebulliens perque textum reticulare & ipſam cuticulam relucens, aut in capillaribus levi coagulo detentus, quæ vis perſæpè eſſe frigoris ſolet, rubicundum refert, candidum roſeumque in Europæis colorem, tandem etiam, ſi uſque inſtet, lividum, ut in Septentrionis ultimis. Quòd ſi aëris calor, dum poros perpluit, particulis oleolis ſanguinem pluſculum accendit & Bilis evehit fermentum atque à maſſâ ſequeſtrat, emanantia in cutim effluvia luteum relinquunt & Bilioſum colorem, pro temperamenti & alimentorum naturâ diverſimodè mutandum. Sed ille etiam humor cæterorum colorum eſt fundamentum; nam, prout acidæ, ſalinæ,

vitrio-

vitriolatæ aut aluminoſæ particulæ animique ſocientur affectus, ita ad fuſciorem, lividiorem aut viridem declinat. Atque eum in modum, licèt cutis textura naturâ candida ſit, tamen eum induit colorem, qui in humore eſt, poſtquam ſolidi ſubſtantiam attigit vel mutavit; antè enim haud facilè id exſpectes. Color in Aurigine luteus, fuſcus, viridis, à Bilioſarum particularum in cutim reticulique texturam infixarum pertinaci morâ oritur, qui tamen, quòd ſolidi texturam necdum penitus mutavit, cum tempore profligatur; at qui Naturâ aut gente fuſcus eſt color, ut in Mauris, Americanis, Judæis, quique niger, ut in Æthiopibus, cum ſolidi minimis ſit immiſſus, ſaltem viſcòſo ſe debeat reticuli pigmento, non remediis nec facilè aëris mutatione cedit. Judæi autem, quem habent origine colorem fædum, intempeſtivâ diætâ & ſqualore ſibi reddunt familiarem & obſtinatè continuant: nam, quòd iſta gens, vaga nunc pasſim, triſti & luſtrali colore poſt tot annorum curſum etiam in Septen-

trione ſuperbiat, non aliundè, quàm à religioſo vivendi ordine & ineptorum ciborum delectu deduxerim; qui enim ex Luſitanis Judæis in pingui & delicato vivunt ocio, non adeo obſtinati ſuperſtitionis cultores, eos læto & non invenuſto candore perfundi notavimus, tandem etiam colorem illum in ſobolem transferre. Æthiopes, licèt ipſi indelebili cutis tincturâ videantur prædi- ti, tamen ad auræ ſeptentrionalis humiditatem remittere nonnihil colorem ſolent, candidarum veſtium comparatione provocandum. Erant quidem plura, Vir Excell. de coloribus hiſce pertractanda, ſed exemplo antecedentium putem facilè dubitationes ſolvi poſſe, quæ aliunde emergunt. Non patiebatur inſtitutum hoc noſtrum, colorum omnium cauſas & differentias latiùs deducere, quia ex occaſione tantùm nigredinis Æthiopicæ operam occeperam, & quæ dici poterant, tuaque curioſitas requirebat, non unius & particularis argumenti examini impendi debebant, ſeverioribus curis ten-

tentanda. Dignare modò laborem hunc meum fronte illâ, quàm jam tum animo præcepi, meque, qui honeſtisſimum quemque obſervare quàm maximè ſoleo, meritorum tuorum eſſe perpetuum cultorem etiam atq; etiam crede.

F I N I S.

SYLLABUS CAPITUM.

Caput Primum.

De Habitu Corporis Æthiopici obſervata. Proportio examinatur oſtenditurque in plurimis bonam eſſe, in nonnullis tamen etiam vitioſam. In Capitis figurâ quid laudari, quid damnari debeat; pectoris truncique proportionem optimam viſam, certè meliorem, quàm eſſe noſtrarum ſolet, quæ ſtricturâ pectus ventremque corrumpunt; tumorem gulæ & colli brevitatem cæteram quoque proportionem fœdare. Difficulter admodum de verâ proportione membrorum judicari poſſe.

Caput Secundum.

Tentatur habitus externi ſeu figuræ corporeæ proportio. In quo conſiſtat pulcritudo; eamque vel verum eſſe & in naturali harmoniâ fundatam, aut imaginariam, id eſt, virtutis aliquâ

A01 1460839

aliquâ aut utilitatis ſpecie commendatam, experimentis variis, etiam Macrocephalorum iſto, decernitur. De Nigritarum habitu exempla priorum fertur judicium.

Caput Tertium.

Attingitur nigredo: eam variam eſſe, nec ſolis Nigritis reſervatam, exemplo Afrorum, Ægyptiorum & in ſeptentrione Tartarorum, definitur. Chuſæus non pro Æthiope, ſed Saraceno, plurimarum linguarum conſentiente nomenclaturâ. Æthiopum nigredo ſingularis, non habitu tantum Corporis, ſed & formæ raritate commendata.

Caput Quartum.

Qualis propriè ſit externa nigredinis Æthiopicæ facies, disquiritur; videri nec latum, nec triſtem nimis colorem; profundam nigredinem, ſi ſplendore illuſtretur, minùs eſſe lugubrem; quæ deinde ſit nigrorum differentia, quis ſuperficiei & villorum contextus, exemplis declaratur;

Caput Quintum.

Mollicies cutis Æthiopicæ inuſitata & boloſerica notatur; ejus cauſæ illuſtrantur, exemplo ſlorum & canum ex inſulâ D. Thomæ. Singularis obſervatio de calore & tranſpiratione iſtorum animalium.

Caput Sextum.

Nitor argentei ſplendoris æmulus unde oriatur in cute Nigritarum. Exigitur corporum noſtro-

noſtrorum ſuperficies & peculiaris ſplendor; deberi eum partim ſanguinis efferveſcentia cutim expandentis, partim tenſioni ſpirituum in nerveas tubuloſasq; cutis veſicellas influentium, tandem etiam rori alicui aut ſucco ſuperficiem oblinenti, variis experimentis aſſeritur.

Caput Septimum.

Nigredo Æthiopica, ejusq; cauſa materialis & proxima deducitur: hactenus conjecturâ tantùm definitâ experimento Æthiopiſſæ in lucem prodit. Conſiſtere eam in membranulâ quadam, reticulatâ, pingui, unguinoſâ, & fuligine delibutâ, cutim inter cuticulamq; repoſitâ, per cuticulam, quippe quæ lucida eſt, transparente, cutisq; colorem album & noſtro etiam candore non inferiorem, obducente, demonſtratur. In hujus rei argumentum plura accedunt & uveæ oculi tunica & aliorum exempla.

Caput Octavum.

Materia nigredinis, utrum ex tubulis aut glandulis ſudatoriis, an verò ex inſenſilibus poris ſeu tranſpirationis cribro emergat, diſputatur. Videri illam potentiâ tantùm in ſanguine latere, ex ſucco deinde aut balitu limpido ad texti reticularis organicam diſpoſitionem, aut certi ſucci fermentum, actu ſub cuticulâ emergere, adductis in eam rem experimentis.

Caput Nonum.

Ad remotiores nigredinis cauſas properatur aliorumq; exemplo de diris & voto Noächi decerni-

cernitur; nullà ratione potuiſſe ad Ludæos, ne dicam, ad colorem eorum, referri indictam ſervitutem; nigredinem non magis eſſe ſervitutis indicium, quam alium quemq; colorem: deformitatem in figurâ potius corporum, quàm colore conſiſtere.

Caput Decimum.

Cauſæ propiores delibantur. Negatur Solis in formandâ Nigredine Æthiopicâ ullas eſſe vires; infuſcari quidem corpora nimiis ſolibus, at longè ab illo coloris gradu abeſſe exuſtionem aëream; Nigritarum clima, etiam in tanto æſtu, humidâ fluviorum, quos ibi habent vaſtiſſimos, & nitroſâ cæli aurâ temperari non vanis argumentis probatur.

Caput Undecimum.

Colorem, qui à Sole videtur proficiſci, non ſimpliciter eſſe nigrum, ſed pro ſuperficiei & objecti naturâ multiplicem, ſæpe etiam album, & quæ nonnullorum ſumma tingit nigredo, eam ex ipſo potiùs corporum centro emergere, quàm in ſuperficiem poſitivè à Sole inferri plurimis obſervatis innoteſcit.

Caput Duodecimum.

Frigori perindè ut Soli denigrandi relictam eſſe facultatem, & in ultimo Septentrione etiam obſcurum & fuſcum haberi corporum colorem ex Hippocratis notabili loco variisq; exemplis conſtare videtur; aliam tamen eſſe Septentrionalium, aliam eorum, qui in Meridie degunt, fuſcita-

fuſcitatem; illam lividam & à coägulo oriundam ſanguinis, hanc rubicundulam, & nimiæ ſiccitati tum raritati & efferveſcentiæ tincturæq; Bilis deberi.

Caput Tertiumdecimum.

Laborioſiùs inquiritur, an frigus ſimpliciter albedinem in Septentrione pariat. Dubia & obſervata de anniverſario piloſorum animalium candore; aërem aliquid, plurimum tamen alimenta, potum & vitæ genus conferre conjecturâ & exemplis deducitur.

Caput Quartumdecimum.

Quænam ergo ſit primæva nigredinis cauſa, & num à parentibus in nepotes translata, originem debeat vetuſtæ Judæorum gentis mutationi, quæritur; degeneraſſe habitum & colorem gentium iam initio rerum, poſtquam affectibus & aſotiâ duci homines cœperunt, eſt veroſimile; tum etiam in unum primò objectum factam impreſſionem ab imaginatione in nepotes manaſſe, & colorem ſimul illo habitu, continuato eodem vitæ ordine, in familiâ non tantùm aut gente, ſed natione haſiſſe, non videtur abſurdum.

Caput Quintumdecimum.

Ad majorem coloris Æthiopici lucem Europæorum candor adducitur, &, in quo ille conſiſtat, explicatur. Sanguinem ipſum, quatenus ſe proximè in reticulata cutis vaſcula infert, cauſam eſſe colorum in habitu; & qui eſt accidentalis color ſeu præter naturam, eum vel externo

terno pigmento & ſqualori Solis, ſeu interno fermento & veneno deberi, contenditur.

Caput Sextumdecimum.

Quæ propriè ſit cutis noſtræ albedo, & quomodo à ſeſe diſcrepet, ut in vultu rubore temperetur, & tam à tubulorum nerveorum, ex quibus cutis eſt contexta, quam vaſculorum ſanguineorum commodâ expanſione candor ille oriatur, expenditur.

Caput Septimumdecimum.

Differentiæ candoris Europæi ratione ætatis explicantur, & cur infantes, etiã candidiſſimorum Parentum, mox à Matre rubeant, Senes plerunque obſcuriùs tingantur, quæritur. Rara de Æthiopum naſcentium albedine Hiſtoriâ.

Caput Octavumdecimum.

Deſcribuntur candoris differentiæ, quæ â ſexu proveniunt; & quot ſæpe & quàm ſollicitis artibus feminarum candor defendi debeat, aliàs facilè periturus, copioſè diſputatur. Accedit de fucorum naturâ judicium.

Caput Nonumdecimum.

Quid denique Vitæ genus in unius plagæ incolis ad mutandum cutis candorem poſſit, & quantùm aquæ, aëris locorumq; natura hodie à veteri illâ & à ſe invicem diſcrepet, examinatur.

Caput Vigeſimum.

Repetitur proximè & breviter, cui ſe color cutis noſtræ materialiter debeat, utrũ cuticulæ, cuti, an tertio corpori, quisve ille ſit ſuccus, quæ tincturâ, pro varietate gentium, tandẽ definitur.

A 01 1460839

Digitized by Google